

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## C. Cornelii Taciti Opera Qvæ Exstant

Tacitus, Cornelius

Antverpiae, 1668

Dialogus de caussis corruptae eloquentiae

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1742](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1742)

IUSTI LIPSI  
AD DIALOGVM DE CAVSSIS  
CORRVPTÆ ELOQVENTIÆ

P R Æ F A T I O.



*SUPERIORIBVS* libris lucem aliquam industria nostra attulit: huic, verè possum dicere, salutem. Nam cum depravatissimus vulgò circumferretur, nulla pagina sine vulnere & vibice: admirabile est, quantum à Farnesiano codice (nam Vaticanis aberat) in eo sanando simus adiuti. Multi hiatus expleti, verba & lineæ integra inserta, centeni aliquot loci (Latinè non oratorie loquor) emendati.

Quorum omnium numerum inire aut longum, aut superuacuum: moderabor, & in his Notis ea saltem tangam quorum vel insignis correctio est, vel ambigua. Reliqua recepta in contextum, satis sit verbo iam nunc prædixisse, è Farnesiani libri fide esse. At de scripto, & scriptore ipso, pauca etiam hinc libanda sunt. Scriptum sanè optimum, stilo, inuentione, iudicio: & quod in hoc genere (integrum esset modò) conferre nihil verear cum iis quæ optimi sæcli, & optima notæ. Scriptor tamen ipse incertus. Ita olim iudicauit: neque etiam muto. Nam Tacitum fuisse quæ credam? Stilus valide abnuit, non fallax in hoc genere argumentum. qui in nostro, constrictus ubique, teres, acutus, & seuerus magis quàm lepidus: hinc omnia contra. At mutari is in atate aut argumento potest, inquit. Non nego. sed numquam ita, ut abeat prorsus à sese. Quidquid Cicero scripsit, senex, iuuenis, philologum, philosophum; in iis tamen lineamenta quadam apparent eiusdem viri & vultus. Nec aliter fit in omnibus nobis. Atatem etiam vide, si non pugnat. Hic scriptor sermonem hunc habitum inducit sexto Flauiani imperij anno: eiq; interfuisse se admodum iuuenem. Quomodo verò tunc admodum iuuenis Tacitus, si honores etiam cepit sub Vespasiano? Id enim de se fatetur, & dignitatem suam à Vespasiano inchoatam ait Historiarum primo. Sed exemplaria omnia Tacito adserunt. Quæ illa? vix bina aut terrena credo ea esse in omni Europâ. quæ tam facile & prouum est hic mentiri, quàm in aliis libris sæpè. Sed etiam Pomponius Sabinus. Ita enim politissimus doctissimisque Pythæus nos docuit, Notis ad hunc libellum. Is igitur Sabinus media atatis Grammaticus in Carmen de obitu Mæcenatis: Corne-

lius,

lius, inquit, Tacitus appellat scripta Mæcenatis calamistros. Nec negare certè possumus, quin is locus hodieq; in hoc libello exstet. Quid dicam? scriò & ingenuè, nihil me credere huic ignobili Sabino, qui ex veteri verbo, somnauit fortasse quod voluit. Dico me. nam aliis nihil præ eo quid sequantur. Incommodi quid erit, siue Tacito tribuamus; siue M. Fabio Quintiliano, ut mihi olim visum? Nam & stilus ipse planè geminus: & ille se De causis corruptæ eloquentiæ scripsisse plus uno loco fatetur. quem titulum valde appositum scio huic argumento. Præcipuam enim materiem & velut fundum scripti, hoc fuisse; euincunt illa quæ superant, & magis euincerent quæ à fine desunt. Ipse Maternus hîc ad Messallam: Exprime nobis non laudationem antiquorum, sed causas cur in tantum ab eloquentiâ eorum recesserimus. Ætas tamen Quintiliani paullo grandior fuisse videtur, quàm ut hic sermo illo iuvene. Itaque ambigo. & cum multa dixerim, claudo tamen omnia & signo hoc responso, *Mihi non liquere.*



A  
**FABII QVINCTILIANI,**  
 VT VIDETVR, DIALOGVS;  
 AN SVI SÆCVLI ORATORES ANTIQVIS,  
 ET QVARE, CONCEDANT:  
 CORN. TACITO VVLGO INSCRIPTVS.

B **S**ÆPE ex me requiris, Iuste Fabi, cur cùm priora sæcula tot Cap. i.  
 eminentium oratorum ingeniis glòriaque effloruerint,  
 nostra potissimùm ætas deserta, & laude orbata, vix no-  
 men ipsum oratoris retineat. neque enim ita appellamus  
 nisi antiquos: horum autem temporum disertis, caussidici,  
 & aduocati, & patroni, & quiduis potiùs quàm oratores  
 vocantur. Cui percontationi tuæ respondere, & tam ma-  
 gnæ quæstionis pondus excipere, vt aut de ingeniis nostris  
 malè existimandum sit, si idem assequi non possumus,  
 aut de iudiciis, si nolumus; vix hercule auderem, si mea  
 sententia proferenda, ac non disertissimorum vt nostris temporibus hominum sermo  
 repetendus esset. quos eandem hanc quæstionem pertractantes, iuuenis admodum  
 C audiui. Ita non ingenio, sed memoriâ ac recordatione opus est, vt quæ à præstantissi-  
 mis viris & excogitata subtiliter & dicta grauitè, accepi, cùm singuli diuersas<sup>2</sup> vel  
 easdem, sed probabiles caussas afferrent, dum formam sui quisque & animi, & ingenij  
 redderet, iisdem nunc numeris, iisdemque rationibus persequar, seruato ordine dispu-  
 tationis. neque enim defuit, qui diuersam quoque partem susciperet, ac multum vexatâ  
 & irrisâ vetustate, nostrorum temporum eloquentiam antiquorum ingeniis antefere-  
 ret. Nam postero die quàm<sup>3</sup> accuratiùs Maternus Catonem recitauerat, cùm offen- Cap. 2.  
 disse potentium animos diceretur, tamquam in eo tragœdiæ argumento sui oblitus, tan-  
 tum Catonem cogitasset, eaque de re per urbem frequens sermo haberetur, venerunt  
 ad eum M. Aper & Iulius Secundus, celeberrima tum ingenia fori nostri: quos ego in  
 iudiciis non vtrosque modò studiosè audiebam, sed domi quoque & in publico asse-  
 ctabar, mirâ studiorum cupiditate, & quodam ardore iuuenili, vt fabulas quoque eo-  
 rum & disputationes, & arcana semotæ dictionis penitus exciperem. quamuis malignè  
 plerique opinarentur, nec Secundo promptum esse sermonem, & Aprum ingenio potiùs  
 D & vi naturæ, quàm institutione & litteris famam eloquentiæ consecutum. Nam & Se-  
 cundo purus, & pressus, & in quantum satis erat, profluens, sermo non defuit: & Aper  
<sup>4</sup> communi eruditione imbutus, contemnebat potiùs litteras quàm nesciebat. tam-  
 quam

N O T Æ.

I. **M**ALE EXISTIMANDVM SIT.] Ita  
 Farnes. at in Rom. codice existi-  
 mandum habeam.

2. VEL EASDEM, SED  
 PROBABILES.] Id verò  
 non probabile, vt in vno sermo-  
 ne easdem caussas repetuerint. Ego verba ea su-

peresse censeo, vel easdem.

3. ACCVRATIVVS MATERNVS.] Farnes. Curia-  
 tius Maternus. Putabam, Curatius. sed sententiam  
 attendenti magis placet. Curiatius: quod proprium  
 nomen Materni poëta fuerit.

4. COMMVNI ERVDITIONE.] Male vulgò,  
 cum eruditione.

quam maiorem industriæ & laboris gloriam habiturus, si ingenium eius nullis aliena-  
rum artium adminiculis inniti videretur. Igitur ut intrauimus cubiculum Materni,  
5 sedentem ipsum, quem pridie recitauerat librum intra manus habentem, deprehen-  
dimus. Tum Secundus: Nil ne te, inquit, Materne, fabulæ malignorum terrent, quo  
Cap. 3. minus 6 offensas Catonis tui ames? An ideò librum istum 7 apprehendisti, ut diligen-  
tius retractares, & sublatis si quæ prauam interpretandi materiam dederunt, emitte-  
res Catonem non quidem non meliorem, sed tamen secutiorem? Tum ille, 8 Leges tu  
quidem si volueris, & agnosces quæ audisti. quòd si qua omisit Cato, 9 sequenti tracta-  
tionè Thyestes dicet. Hanc enim tragœdiam disposui iam, & intra me ipse formaui.  
Atque ideò maturare libri huius editionem festino, ut dimissâ priore curâ, nouæ cogi-  
tationi toto pectore incumbam. Adeò te tragœdiæ istæ non fatiant, inquit Aper, quo  
minus 10 omissis orationum & curarum studiis omne tempus modò circa Medeam,  
ecce nunc circa Thyestem consumas? cùm tot amicorum causæ, tot coloniarum &  
municipiorum clientelæ in forum vocent, quibus vix sufficeres, etiam si non nouum B  
tibi ipse negotium importasses, Domitium, & Catonem: id est, nostras quoque histo-  
rias, & Romana nomina, Græcorum fabulis aggregares. Et Maternus, Perturbarer hac  
tuâ seueritate, nisi frequens ac assidua nobis contentio iam propè in consuetudinem  
vertisset. Nam nec tu agitare & insequi poëtas intermittis, & ego 11 cui desidiam aduo-  
cationum obiicis, cotidianum hoc patrocinium 12 defendendæ aduersus te poëticæ  
exerceo. Quo lator magis oblatum nobis iudicem, qui me vel in futurum vetet versus  
facere, vel quod iam pridem opto, suâ quoque auctoritate compellat, ut omissis foren-  
sium Musarum angustiis, in quibus satis mihi superque sudatum est, sanctiorem istam  
Cap. 4. & augustiorem eloquentiam colam. Ego verò, inquit Secundus, antè quàm me iudi-  
cem Aper recuset, faciam quod probi & modesti iudices solent, ut in his cognitionibus  
excusent, in quibus manifestum est, alteram apud eos partem \* gratiæ præualere. Quis  
enim nescit, neminem mihi coniunctiorem esse & vsu amicitia, & assiduitate contuber-  
nij, quàm Saleium Bassum, cùm optimum virum tum absolutissimum poëtam? porrò  
si poëtica accusatur, non alium video reum locupletiore. Securus sit, inquit Aper, & C  
Saleius Bassus, & quisquis alius studium poëticæ & carminum gloriam fouet, cùm  
causas agere non possit. & ego enim 13 quatenus arbitrium litis huius inueniri non  
patiar, Maternum 14 sollicitè plurimum defendi. sed & ipsum solum 15 apud eos ar-  
guam, quòd natus ad eloquentiam vitilem & oratoriam, quâ parare simul & tueri ami-  
citas, adsciscere nationes, complecti prouincias possit, amittit studium, quo non aliud  
in ciuitate nostrâ vel ad vtilitatem fructuosius, vel ad dignitatem amplius, vel ad vrbis  
famam pulchrius, vel ad totius imperij atque omnium gentium notitiam illustrius ex-  
cogitari potest. Nam si ad vtilitatem vitæ omnia 16 consilia, facta nostra dirigenda  
sunt; quid erit tutius quàm eam exercere artem, quâ semper armatus præsidium amicis,  
opem

Cap. 5.

\* gratiâ

5. SEDENTEM IPSVM, QVEM.] Rom. copula ad-  
dita, & quem, rectè.

6. OFFENSAS CATONIS TVI AMES.] Perspicuè  
verum. vulgò, aures.

7. APPREHENDISTI.] Alij libri, deprehendi-  
sti. Ego, reprehendisti: propria significatione huius  
verbi.

8. LEGES TV QVIDEM SI VOLVERIS.] Scriptus  
liber longè aliter, Leges quid Maternus sibi debue-  
rit, & agnosces, &c.

9. SEQUENTI TRACTATIONE.] Fortasse recita-  
tione. Ipse Maternus infra, Recitatione tragœdia-  
rum famam se auspiciatum, ait.

10. CURARVM STUDIIS.] Omnino scribendum  
coniicio, causarum studiis.

11. CUI DESIDIAM, ADVOCATIONVM OBIICIS.]

Præclarè meus liber. Antè corruptè & mutilatè, cui  
desidiam aduocamus, cotidianum, &c.

12. DEFENDENDÆ ADVERSVS TE POËTICÆ.]  
Benè quoque hoc liber. Alij, defendens aduersus te  
poëticè.

13. QVATENVS ARBITRIVM LITIS HVIVS.]  
Totum locum P. Pythæus legit, quatenus arbitrum  
litis huius inueni, non patiar Maternum societate  
plurium defendi. hoc sensu, Quando te, Secunde,  
huius litis arbitrum nactus sum. Quod rectum omni-  
no iis quibus mens non curua.

14. SOLLICITE PLVRIMVM DEFENDI.] Farnes.  
societate plurium.

15. APVD EOS.] Malo, apud vos.

16. CONSILIA, FACTA NOSTRA.] Rom. liber,  
factaque nostra.

17. REBVS

A opem alienis, salutem periclitantibus, inuidis verò & inimicis metum & terrorem vltro  
 feras, ipse securus, & velut quadam perpetuâ potentiâ ac potestate munitus? cuius vis &  
 vtilitas, <sup>17</sup> rebus propè fluentibus, aliorum \* præsidio & tutelâ intelligitur. sin proprium <sup>18</sup> periculum increpuit; non hercule lorica aut gladius in acie firmiter munimentum,  
 quàm reo & periclitanti eloquentiæ præsidium simul & telum, quo propugnare pariter  
 & incessere, vel in iudicio, siue in senatu, siue apud Principem possis. Quid aliud infestis  
 patribus nuper Epius Marcellus, quàm eloquentiam suam opposuit? qui accinctus &  
 minax disertam quidem, sed inexercitatum, & eiusmodi certaminum rudem Heluidij  
 sapientiam elusit. Plura de vtilitate non dico, <sup>19</sup> cui parti minimè contradicendum  
 Maternum meum arbitrer. Ad voluptatem oratoriæ eloquentiæ transeo, cuius iucun- Cap. 6.  
 ditas non vno aliòve momento, sed omnibus propè diebus & propè omnibus horis  
 contingit. Quid enim dulcius libero & ingenuo animo, & ad voluptates honestas nato,  
 quàm videre plenam semper & frequentem domum concursu splendidissimorum ho-  
 minum? idque scire, non pecuniæ, non orbitati, neque officij alicuius administrationi,  
 sed sibiipsi dari? illos quinimmo <sup>20</sup> orbos & locupletes & potentes venire plerumque  
 ad iuuenem & pauperem, vt aut sua aut amicorum discrimina commendent. Vllane  
 tanta ingentium opum ac magnæ potentiæ voluptas, quàm spectare homines veteres,  
 & senes, & <sup>21</sup> totius orbis gratiâ subnixos, in summâ omnium rerum abundantiam  
 confitentes id quod optimum sit se non habere? Iam verò qui togatorum comitatus &  
 egressus? quæ in publico species? quæ in iudicijs veneratio? quod gaudium consurgendi  
 assistendi que inter tacentes, in vnum conuersos? coire populum, & circumfundi co-  
 ram, & accipere affectum quemcumque orator induerit? Vulgata dicentium gaudia, &  
 imperitorum quoque oculis <sup>22</sup> exposita, percenseo. Illa secretiora, & tantùm ipsis oran-  
 tibus nota, maiora sunt. Siue accuratam meditatamque affert orationem; est quoddam  
 sicut ipsius dictionis, ita gaudij pondus & constantia. siue nouam & recentem curam  
 non sine aliquâ trepidatione animus attulerit, ipsa sollicitudo commendat eventum,  
 & lenocinatur voluptati. Sed extemporalis audaciæ, atque ipsius temeritatis vel præci-  
 C pua iucunditas est. Nam ingenio quoque, sicut in agro, quamquam alia diu ferantur  
 atque elaborentur, gratiora tamen quæ suâ sponte nascuntur. Equidem vt de me ipso Cap. 7.  
 fatear, non eum diem latiore egi, quo mihi latus clauus oblatus est, vel quo homo  
 nouus & in ciuitate minimè fauorabili natus, quæsturam, aut tribunatum, aut prætu-  
 ram accepi: quàm eos quibus mihi pro mediocritate huius quantulæcumque in dicen-  
 do facultatis, aut reum prosperè defendere, aut apud centumuiros causam aliquam fe-  
 liciter orare, aut apud Principem ipsos illos libertos & procuratores Principum tueri &  
 defendere datur. Tum mihi supra tribunatus & præturas & consulatus ascendere vi-  
 deor, <sup>23</sup> tum \* abire: quod si non in alio oritur, nec in codicillis datur, nec cum gratiâ  
 venit. Quæ fama & laus cuiusuis artis cum oratorum gloriâ comparanda est, qui non  
 illustres in vrbe solùm apud negotiosos & rebus intentos, sed etiam apud iuuenes &  
 adolescentes, <sup>24</sup> quibus morum indoles est & bona spes sui? Quorum nomina prius  
 paren-

D 17. REBUS PROPE FLVENTIBVS. ] *Pythæus re-  
 tte legit & distinguit, rebus probè (nec malè, si,  
 prosperè) fluentibus, aliorum præsidio & tutelâ  
 intelligitur.*

17. PERICVLVM INCREPVIT. ] *Alij libri, peri-  
 culum irreat. Sed hoc Farnesianum planissimè ve-  
 rum est. Cicero in Catilinariâ: Quidquid incre-  
 puerit, Catilinam timeri. Linius: Vnde si quid  
 increpet terroris.*

19. CUI PARTI MINIME CONTRADICTVRVM. ]  
*Ita vetus. non tamen malè vulgati, cum præsertim  
 minimè contradicendum.*

20. ORBOS ET LOCVPLETES ET POTENTES. ]  
*Auxi è libro scripto.*

21. TOTIVS ORBIS. ] *Pythæus, totius vrbe, probè.*

22. EXPOSITA PERCENSEO. ] *Benè ita liber. An-  
 teà, parua censeo, cum pernicie totius sententiæ.*

23. TVM ABIRE: QVOD SI NON IN ALIO  
 ORITVR. ] *Corruptio clara, nec medicina hîc à li-  
 bro. Pythæus tentat, Tum habere, quod non  
 in alio oritur. quod capio haud satis. An ne in  
 albo voluit dicere? & Prætorum ius formulæq; in-  
 tellexit? Fortasse etiam, quod scilicet (ita enim  
 illud, si, diducam & extendam) non in atrio oritur.  
 Præcesserat enim de plenâ & splendenti domo, con-  
 cursu salutantum. Rodolphi lectionem, siue coniectu-  
 ra est, non omitto, qui in prioribus verbis legit: tum  
 supra me abire.*

24. QVIBVS MORVM INDOLES. ] *Romana editio,  
 quibus maior indoles.*

Cap. 8.

\* notis

parentes liberis suis ingerunt? quos sæpius vulgus imperitum & tunicatus hic populus A transeunteis nomine vocat, & digito demonstrat? Aduenæ quoque & peregrini, iam in municipiis & coloniis suis auditos, cum primùm urbem attigerunt, requirunt, ac vultus agnoscere concupiscunt. Ausim contendere, Marcellum hunc Eprium, de quo modo locutus sum, & Crispum Vibium (libentiùs enim \* nouis & recentibus quàm remotis & oblitteratis exemplis vtor) <sup>25</sup> non minus esse in extremis partibus terrarum, \* quàm Capuæ aut Vercellis, vbi nari dicuntur. <sup>26</sup> nec hoc illis alterius ter millies festertium præstat, quamquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiæ beneficio venisse. Ipsa eloquentia, cuius numen & cælestis vis multa quidem omnibus sæculis exempla edidit, ad quantam vsque fortunam homines ingenij viribus peruenerint. <sup>27</sup> Sed hæc, vt supra dixi, proxima, & quæ non auditu cognoscenda sed oculis spectanda habemus. Nam quò fordidiùs & abiectiùs nati sunt, quoque notabilior paupertas & <sup>28</sup> angustia rerum nascentes eos circumsteterunt, eò clariora & ad demonstrandam oratoriam eloquentiæ vtilitatem illustriora exempla sunt. quòd sine commendatione natalium, sine substantiâ facultatum, neuter moribus egregius, alter habitu quoque corporis B contemptus, per multos iam annos <sup>29</sup> potentissimi sunt ciuitatis, ac donec libuit principes fori, nunc principes in Cæsaris amicitiam agunt feruntque cuncta: atque ab ipso Principe cum quâdam reuerentiâ diliguntur. Quia Vespasianus venerabilis senex & patientissimus veri, benè intelligit, ceteros quidem amicos suos niti iis quæ ab ipso acceperint, quæque ipsi accumulare, & in alios congerere promptum est: Marcellum autem & Crispum, attulisse ad amicitiam suam, quod non à Principe acceperint, nec accipi possit. Minimum inter tot ac tanta locum obtinent <sup>30</sup> imagines, ac tituli & statuæ, quæ neque ipsa tamen negliguntur: tam hercule quàm diuitiæ & opes, quas faciliùs inuenies qui vituperet quàm fastidiat. His igitur & honoribus, & ornamentis, & facultatibus, refertas domos eorum videmus, qui se ab ineunte adolescentiâ caussis forensibus & oratorio studio dederunt. Nam carmina & versus, quibus totam vitam Maternus infumere optat (inde enim omnis fluxit oratio) neque dignitatem vllam auctoribus suis conciliant, neque vtilitates alunt: voluptatem autem breuem, laudem inanem & C infructuosam consequuntur. Licet hæc ipsa, & quæ deinde dicturus sum, aures tuæ ô Materne respuant, <sup>31</sup> cui bono est, si apud te Agamemnon aut Iason disertè loquitur? quis ideò domum defensus, & tibi obligatus redit? Quis Saleium nostrum egregium poëtam, vel (si hoc honorificentius est) præclarissimum vatem deducit, aut salutatur, aut profecquitur? Nempe si amicus eius, si propinquus, si denique ipse in aliquod negotium inciderit, ad hunc Secundum recurret, aut ad te Materne, non quia poëta es, neque vt pro eo versus facias. hi enim Basso domi nascuntur, pulchri quidem & iucundi. quorum tamen hic exitus est, vt cum toto anno, per omnes dies, magnâ noctium parte, vnum librum extudit & elucubrauit, rogare vltro & ambire cogatur, vt sint qui dignentur audire: & ne id quidem gratis. nam & domum mutuatur, & auditorium exstruit, & subsellia conducit, & libellos dispergit: & vt beatissimus <sup>32</sup> recitationum eius euen-

Cap. 9.

25. NON MINVS ESSE IN EXTREMIS.] *Vox deest, quam à me repono: non minus esse notos in extremis.*

26. NEC HOC ILLIS ALTERIVS.] *In morbo locus & defectu. Scribas & distinguas: nec hoc illis alterius ter millies, alterius bis millies HS. præstat (quamquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiæ beneficio peruénisse) sed ipsa eloquentia, cuius numen, &c. Quæ addidi, satis mihi certa sunt, numero tantum excepto. nam certè vtriusque opes exprimere propositum habuit. Rodolphus scribebat, nec hoc illis vtriusque ter millies HS. quod amplectar, si è libris.*

27. SED HÆC, VT SVpra DIXI, PROXIMA.]

*Totam periodum scripsi, vt in Farnesiano concepta. Non displiceat tamen è vulgatis libris, propria, pro proxima.*

28. ANGVSTIA RERVm.] *Rom. editio, angustia ereptum. ex quo Rodolphus, angustia parentum. ego, angustia rerum.*

29. POTENTISSIMI SVNT CIVITATIS.] *Rodolphus, potentissimi in iudiciis.*

30. IMAGINES, AC TITVLI ET STATVÆ.] *Præclare liber. Vulgò erat, imagines Attali & statuæ. quis ingenio suo duce repperisset?*

31. CUI BONO EST, SI APVD TE.] *Optimè quoque liber. Antea, crebrò etfi apud te.*

32. RECITATIONVM.] *Scribe, recitationem.*

A euentus prosequatur; omnis illa laus intra vnum aut alterum diem velut in herbâ vel flore præcepta, ad nullam certam & solidam peruenit frugem: nec aut amicitiam inde refert, aut clientelam, aut mansurum in animo cuiusquam beneficium, sed clamorem vagum, & voces inanes, & gaudium volacre. Laudauimus nuper vt miram & eximiam Vespasiani liberalitatem, quòd quingenta sestertia Basso donasset. Pulchrum id quidem, indulgentiam Principis ingenio mereri; quantò tamen pulchrius, si ita res familiaris exigat, <sup>33</sup> se ipsum colere, suum genium propitiare, suam experiri liberalitatem? Adice quòd poëtis, si modò dignum aliquid elaborare & efficere velint, relinquenda conuersatio amicorum, & iucunditas vrbis, deserenda cetera officia, vtque ipsi dicunt, in nemora & lucos, id est, in solitudinem recedendum est. Nec opinio quidem & fama, cui soli feruiunt, & quod vnum esse pretium omnis sui laboris fatentur, æque poëtas quàm oratores sequitur. quoniam mediocreis poëtas nemo nouit, bonos pauci. Quando enim rarissimarum recitationum fama <sup>34</sup> in totam urbem penetrat? nedum vt per tot prouincias innotescat. Quotus quisque cum ex Hispaniâ vel Asiâ, ne quid de Gallis nostris loquamur, in urbem venit, Saleium Bassum requirit? atque adeò si quis requirit & semel vidit, transit & contentus est: vt si picturam aliquam vel statuam vidisset. Neque hunc meum sermonem sic accipi volo; tamquam eos, quibus natura sua oratorum ingenium denegauit, deterream à carminibus, si modò in hac studiorum parte oblectare otium & nomen inserere possunt famæ. ego verò omnem eloquentiam omnesque eius partes sacras & venerabiles puto. nec solùm cothurnum vestrum, aut heroïci carminis sonum, sed lyricorum quoque iucunditatem, & elegorum lasciuias, & iamborum amaritudinem, epigrammatum lusum, & quamcumque aliam speciem eloquentia habeat, anteponendam ceteris aliarum artium studiis credo. sed tecum mihi Materne res est, quòd cum natura tua in ipsam arcem eloquentiæ ferat, errare mauis, & summa adeptus, in leuioribus subsistis. Vt si in Græciâ natus esses, vbi ludicras quoque artis exercere honestum est, ac tibi <sup>35</sup> Nicostrati robur ac vires dii dedissent, non paterer immanes illos ad pugnam datos lacertos, leuitate iaculi aut iactu disci vanescere: sic nunc te ab auditoriis & theatris, in forum & ad causas, & ad vera prælia voco. cum præsertim ne ad id quidem consurgere possis, quod plerisque patrociniatur, tamquam minus obnoxium sit offendere poëtarum quàm oratorum studium. Efferuescit enim vis pulcherrimæ naturæ tuæ, nec pro amico aliquo, sed quòd periculosius est, pro Catone offendis. nec excusatur offensa necessitudine officij, aut fide aduocationis, aut fortuitæ & subitæ dictionis impetu: meditatus videris elegisse personam notabilem, & cum auctoritate dicturam. Sentio quid <sup>36</sup> responderi possit. hinc ingentis ex his assensus, hinc in ipsis auditoriis præcipuè laudari, & mox omnium sermonibus ferri. Tolle igitur quietis & securitatis excusationem, cum tibi sumas aduersarium superiorem. nobis satis sit priuatas & nostri sæculi controuersias tueri, <sup>37</sup> in quibus expressis si quando necesse sit pro periclitante amico potentiorum aures offendere; & probata sit fides, & libertas excusata. Quæ cum dixisset Aper acrius, vt solebat, & intento ore: remissus & subridens Maternus, Parauit, inquit, me non minus diu accusare oratores quàm Aper \* laudat. Forte enim arbitrabar vt à laudatione eorum degressus detractaret poëtas, atque carmi-

Cap. 10.

Cap. 11.

\* Fortè,  
laudare.

num

33. SE IPSVM COLERE, SVVM GENIVM PROPITIARE.] *Auxi à libro, & partim correxi. Nam in illo erat, suum ingenium propitiare. pro quo sensus ipse facile suggessit Genium.*

34. IN TOTAM VRBEM PENETRAT? NEDVM.] *Restitui, cum in scripto esset, penetrat medium: in vulgatis, metrum.*

35. NICOSTRATI ROBR. ] *De quo Quinctilianus lib. II. cap. IX. At si fuerit qui docebitur, ille, quem adolescentes senem vidimus, Nicostratus: omnibus in eo docendi partibus simili-*

ter vtetur, efficietque illum qualis hic fuit, luctando pugnandoque (quo utroque certamine iisdem diebus coronabatur) inuictum. Quod ipsum suadet de Quinctiliano, libelli huius auctore. Ac de Nicostrato palaestrâ, etiam Pausanias in Eliacis.

36. RESPONDERI POSSIT. \* HINC INGENTIS.] *Defectum odoror. & asteriscum poni velim, quâ parte nunc addidi.*

37. IN QVIBVS EXPRESSIS SI QVANDO NECESSE SIT.] *Pro his verbis fortasse: In quibus expressis si quando necessitas.*



num studium prosterneret: arte quâdam mitigavit, concedendo his qui causas agere non possent, ut versus facerent. Ego autem sicut in causis agendis efficere aliquid & eniti fortasse possum, ita recitatione tragœdiarum ingredi famam auspiciatus sum, tum quidem cum in Nerone improbam & studiorum quoque sacra profanantem vaticinij potentiam fregi. <sup>38</sup> hodie si quid in nobis notitiæ ac nominis est, magis arbitror carminum quam orationum gloriâ partum. ac iam me deiungere à forensi labore constitui, nec comitatus istos & egressus aut frequentiam salutationum concupisco: non magis quam æra & imagines, quæ etiam me nolentē in domum meam irruerunt. Nam <sup>39</sup> statum cuiusque ac securitatem meliùs innocentiâ tueor quam eloquentiâ. nec vereor, ne mihi unquam verba in senatu nisi pro alterius discrimine facienda sint. Nemora verò, & luci, & secretum ipsum quod Aper increpabat, tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter præcipuos carminum fructus numerem, quòd nec in strepitu, nec sedente ante ostium litigatore, nec inter sordes ac lacrymas reorum componuntur, sed sededit animus in loca pura atque innocentia, fruiturque sedibus sacris. Hæc eloquentiæ primordia, hæc penetralia: hoc primùm habitu cultuque \* commoda mortalibus, in illa casta & nullis contacta vitiis pectora influxit. sic oracula loquebantur. Nam lucrosæ huius <sup>40</sup> & sanguinantis eloquentiæ usus, recens, & malis moribus natus, atque, ut tu dicebas Aper, in locum teli repertus. Ceterum felix illud, & ut more nostro loquar, aureum sæculum, & oratorum & criminum inops, poëtis & vatibus abundat, qui benefacta canerent, non qui malè admissa defenderent. Nec ullis <sup>41</sup> aut gloria maior, aut augustior honor: primùm apud deos, quorum proferre responsa & interesse epulis ferebantur: deinde apud illos diis genitos sacrosque reges, inter quos neminem caussidicorum, sed Orphea ac Linum, ac si introspicere altius velis, ipsum Apollinem accepimus. vel si hæc fabulosa nimis & composita videntur, illud certè mihi concedis Aper, non minorem honorem Homero quam Demostheni apud posteros: nec angustioribus terminis famam Euripidis aut Sophoclis, quam Lysiæ aut Hyperidis includi. plures hodie reperies qui Ciceronis gloriam, quam Virgilij detractent. Nec ullus Asinij aut Messallæ liber tam illustris est, quam <sup>42</sup> Medea Ovidij, aut Varij Thyestes. Ac ne fortunam quidem vatum, & illud felix contubernium, comparare timuerim cum inquietiâ & anxiâ oratorum vitæ. licet illos certamina & pericula sua ad consulatus euexerint: malo securum & secretum VIRGILII secessum, in quo tamen neque apud diuum Augustum gratiâ caruit, neque apud populum Romanum notitiâ. Testes Augusti epistolæ, testis ipse populus, qui auditis in theatro versibus Virgilij, surrexit uniuersus, & fortè præsentem spectantemque Virgilium veneratus est, sic quasi Augustum. Ne nostris quidem temporibus, Secundus Pomponius Afro Domitio, vel dignitate vitæ, vel perpetuitate famæ, cesserit. Nam Crispus & Marcellus, ad quorum exempla me vocas, quid habent in hac præfenti fortunâ concupiscendum? an quòd timent, an quòd timentur? quòd cum cottidie aliquid rogentur, <sup>43</sup> hi quibus præstant indignantur? quòd alligati cum adulatione, nec imperantibus unquam satis serui videntur, nec nobis satis liberi? Quæ hæc summa eorum potentia est? tantum posse liberti solent. Me verò dulces, ut Virgilius ait, Musæ, remotum à sollicitudinibus, & curis, & necessitate cottidie aliquid

38. HODIE SI QUID IN NOBIS.] Rom. addit copulam, & hodie. rectè.

39. STATVM CVIVSQVE.] Malo, statum hucusque. De se loquitur: & respondet illi parti Aprine orationis, qui eloquentiam telum esse voluit ad pericula omnia propulsanda.

40. ET SANGVINANTIS ELOQUENTIÆ.] Fortasse, & saginantis. uti ad commodum lucrûmque hæc tantum referat. Nam Sanguinare probum quidem verbum: sed non aliud quam sanguinem emittere. Artus sanguinantes, Vulnere sanguinantis, in Quintilianii Declama-

tionibus mihi lecta. Quæ significatio parum hic apta. si ad accusationes & sanguisugam illam eloquentiam respexit.

41. AVT GLORIA MAIOR.] E vestigiis scripturæ prisce restitui. Nam Farnesianus: aut gloria more. Vulgati planè turbant.

42. MEDEA OVIDII, AVT VARIJ.] Deest antiquo illud, aut Varij.

43. HI QVIBVS PRÆSTANT INDIGNANTVR?] Ineptè & falso. Negationem addo, hi quibus non præstant. Etsi abesse alterum membrum sentio periodo plena.

A aliquid contra animum faciendi, in illa sacra illosque fontes ferant: nec infantum ultra & lubricum forum famamque pallentem trepidus experiar: non me fremitus salutarium, nec anhelans libertus excitet: nec incertus futuri, testamentum pro pignore scribam: nec plus habeam, quam quod possim cui velim relinquere, quandocumque fatalis & meus dies veniet. Itaturque tumulo non mæstus & atrox, sed hilaris & coronatus: & pro memoriâ mei, <sup>44</sup> nec consulat quisquam, nec roget. Vix dum finierat Maternus concitatus & velut instinctus, cum <sup>45</sup> Vipfanius Messalla cubiculum eius ingressus est, suspicatusque ex ipsâ intentione singulorum, altiorem inter eos esse sermonem: Num parum tempestiuus, inquit, interueni, secretum consilium & causæ alicuius meditationem tractantibus? Minimè, minimè, inquit Secundus; atque adeò vellem maturiùs interuenisses. delectasset enim te & Apri nostri accuratissimus sermo, cum Maternum, vt omne ingenium ac studium suum ad causas agendas conuerteret, exhortatus est: & Materni pro carminibus suis læta, vtque poëtas defendi decebat, audentior, poëtarum quam oratorum similior oratio. Me verò, inquit, & sermo ipse infinita voluptate affecisset, atque id ipsum delectat, quòd vos viri optimi & temporum nostrorum oratores, non forensibus tantum negotiis, & declamatorio studio ingenia vestra exercetis, sed eiusmodi etiam disputationes adiungitis, quæ & <sup>46</sup> ingenium alunt & eruditionem: & litterarum iucundissimum oblectamentum, cum vobis qui illa disputatis, afferunt, tum etiam his ad quorum aures peruenerint. Itaque hercule non minus probari video in te Secunde, quòd Iulij Asiatici vitam componendo, spem hominibus fecisti plurimum eiusmodi librorum, quam in Apro, quòd nondum à scholasticis controuersis recessit; & otium suum mauult nouorum rhetorum more, quam veterum oratorum consumere. Tum Aper, Non desinis Messalla vetera tantum & antiqua mirari, <sup>Cap. 14.</sup> nostrorum autem temporum studia irridere atque contemnere. Nam hunc tuum sermonem sæpè excepi, cum oblitus & tuæ & <sup>47</sup> fratris tui eloquentiæ, neminem hoc tempore <sup>48</sup> oratorem esse contenderes. Antiquis eò credo audaciùs, quòd maligni in iis opinionem non verebaris, eum eam gloriam, quam tibi alij concedunt, ipse tibi denegares. Neque illius, inquit, sermonis mei pœnitentiam ago, neque aut Secundum, aut Maternum, aut te ipsum Aper (quamquam interdum in contrarium disputes) aliter sentire credo. Ac velim impetratum ab aliquo vestrum, vt causas huius infinitæ differentiæ scrutetur ac reddat, quas mecum ipse plerumque conquirò. & quòd quibusdam solatio est, mihi auget quæstionem, quia video etiam Graiis accidisse, vt longius absit Æschine & Demosthene <sup>49</sup> Sacerdos iste Nicetes, si & quis alius Ephesum vel Mitylenas contentus scholasticorum clamoribus quatit, quam Afer aut Africanus aut vos

<sup>44.</sup> NEC CONSULAT QVISQVAM, NEC ROGET.] *Consulat vates, roget principem. Quid ita? quia crebrum vt memoria damnaretur defunctorum: id est, tituli, imagines, honores.*

<sup>45.</sup> VIPFANIUS MESSALLA.] *Legebatur antea, D Urbanus Messalla. At vetus, Vibanius. è quo primum reddere viro celebri gentile nomen.*

<sup>46.</sup> INGENIUM ALUNT ET ERVDITIONEM.] *Placet cum Rodolpho, ingenium alunt, & eruditionis & litterarum.*

<sup>47.</sup> FRATRIS TVI ELOQVENTIÆ.] *Quis hic Messalla frater? puto Regulum intellegi, illum qui cum Plinio vixit & floruit, linguâ magis quam vitâ laudatus. Suspicio ex Tacito IV. Histor. Magnam eo die pietatis eloquentiæque famam Vipfanius Messalla adeptus est, nondum Senatoriâ ætate, ausus pro fratre Aquilio Regulo deprecari.*

<sup>48.</sup> ORATOREM ESSE CONTENDERES. ANTIQVIS.] *Expressi scripturam veterem: quæ tamen*

*ipsa fortassis mutila, & scribendum: contenderes parem antiquis. eò credo audaciùs. Aut si inseri vocem displicet: contenderes. Atque id eò credo audaciùs.*

<sup>49.</sup> SACERDOS ISTE NICETES.] *Ita emendandi verè & ἱερωσύνης, cum in libris esset, sacerdos iste enitet. Nicetes Sacerdos declamator nobilis eò æno. Plinius lib. VI. epistolarum audisse eum fatetur: Erat non studiosorum tantum, verum etiam studiorum amantissimus, ac prope quotidie ad audiendos quos tunc ego frequentabam Quinctilianum & Sacerdotem Nicetem ventitabat. Exstat Philostrati Lemnij de hoc Nicete in Vitis Saphistarum elogium, de quo Pythæus nos monuit, ipse monitus à Neueleto. Nominat & Seneca pater lib. IX. Controuers. II. Nec Iulio nec alij contigisse suo (scribam, nec Vibio, nec alij contigisse scio) quam apud Græcos Nicetæ, apud Romanos Latroni, vt à discipulis non audiri desiderarent. Et eodem libro, Controuers. siâ ultimâ: Nicetes egregiè dixit in eodem loco.*

Cap. 16. ipsi à Cicerone aut Asinio recessistis. Magnam, inquit Secundus, & dignam tractatu A  
 quæstionem mouisti: sed quis eam iustius explicauerit quàm tu, ad cuius luminam eru-  
 ditionem & præstantissimum ingenium cura quoque & meditatio accessit? Et Messal-  
 la, Aperiam, inquit, cogitationes meas, si illud à vobis antè impetrauero, vt vos quoque  
 sermonem hunc nostrum adiuuetis. Pro duobus, inquit Maternus, promitto. nam &  
 ego & Secundus exsequemur partes, quas intellexerimus te non tam omisisse quàm no-  
 bis reliquisse. Aprum enim solere dissentire, & tu paulò antè dixisti, & ipse satis mani-  
 festus est iamdudum in contrarium accingi, nec æquo animo perferre hanc nostram pro  
 antiquorum laude concordiam. Non enim, inquit Aper, inauditum & indefensum  
 sæculum nostrum patiar hac vestrà conspiratione damnari. Sed hoc primum inter-  
 rogabo, quos vocetis antiquos, quam oratorum ætatem \* significatione istâ determinetis?  
 Ego enim cum audio antiquos, quosdam veteres & olim natos intelligo, ac mihi  
 versantur ante oculos Vlysses & Nestor, quorum ætas mille ferè & cc. annis seculum  
 nostrum antecedit: vos autem Demosthenem & Hyperidem profertis; quos satis con- B  
 stat Philippi & Alexandri temporibus floruisse; ita tamen vt vtrique superstites essent.  
 Ex quo apparet, non multò plures quàm \* ccc. annos interesse inter nostram & De-  
 mosthenis ætatem. quod spatium temporis, si ad infirmitatem corporum nostrorum  
 referas, fortasse longum videatur: si ad naturam sæculorum & respectum huius im-  
 mensi æui, perquam breue, & in proximo est. Nam si, sicut Cicero in Hortensio scri-  
 bit, is est magnus & verus annus, quo eadem positio cæli siderumque, quæ cum maxi-  
 mè est, rursus existet, isque annus horum quos vocamus annorum XII. ∞ DCCCLIV.  
 complectitur: incipit Demosthenes vester, quem vos veterem & antiquum fingitis,

Cap. 17. 50 non solùm anno quo nos, sed ferè eodem mense extitisse. Sed transeo ad Latinos ora-  
 tores, in quibus non Menenium vt puto Agrippam, qui potest videri antiquus, nostro-  
 rum temporum disertis antepone re soletis: sed Ciceronem, & Cæsarem, & Cælium,  
 & Caluum, & Brutum, & Asinium, & Messallam. quos quidem cur antiquis tempori-  
 bus potiùs adscribatis quàm nostris, non video. nam vt de Cicerone ipso loquar, Hir- C  
 tio nempe & Pansâ consulibus, vt Tiro libertus eius scripsit, 51 VII. Idus Decemb. oc-  
 ciscus est, quo anno diuus Augustus in locum Pansæ & Hirtij se & Q. Pedium Coss.  
 suffecit. statue VI. & L. annos, quibus mox diuus Augustus Remp. rexit: adice Tibe-  
 rij tres & viginti, & prope quadriennium Cai, ac bis quaternosdenos Claudij & Nero-  
 nis annos, atque ipsum Galbæ & Othonis, & Vitellij vnum annum, ac sextam iam fe-  
 licis huius principatus stationem, quâ Vespasianus Remp. fouet, c. & xx. anni ab in-  
 teritu Ciceronis in hunc diem colliguntur, vnius hominis ætas. Nam ipse ego in Bri-  
 tanniâ vidi senem, qui se fateretur & pugnae interfuisse, quâ Cæsarem inferentem arma  
 Britannia, arcere litoribus, & pellere aggressi sunt. Ita si cum qui armatus C. Cæsari  
 restitit, vel captiuitas, vel voluntas, vel fatum aliquod in urbem pertraxisset, idem Cæsa-  
 rem ipsum & Ciceronem audire potuit, & nostris quoque actionibus interesse. Pro-  
 ximo quidem congiario ipsi vidistis plerosque senes, qui se à diuo quoque Augusto se-  
 mel atque iterùm accepisse congiarium narrabant. ex quo colligi potest, & Coruinum D  
 ab illis & Asinium audiri potuisse. Nam Corvinus in medium vsque Augusti princi-  
 patum, Asinius pænè ad extremum durauit. Nec diuidatis sæculum, & antiquos ac ve-  
 teres vocetis oratores, quos eorundem hominum aures agnoscere ac velut coniungere  
 & copulare potuerunt. Hæc ideò prædixi, vt si qua ex horum oratorum famâ gloriaque,  
 laus temporibus acquiritur; eandem docerem in medio sitam, & propiorem nobis  
 quàm Ser. Galbæ, C. Carboni, quosque alios antiquos meritò vocarem. Sunt enim  
 horridi, & impolliti, & rudes, & informes: & quos vtinam imitatus non esset Caluus ve-

Cap. 18. 50. NON SOLVM ANNO QVO NOS, SED FERÈ EODEM MENSE.] Imò ex analogiâ, inquit Pythæus, non solùm mense quo nos, sed ferè eodem die. Ego non mutem.

51. SEPTIMO IDVS DECEMBRIS.] In Far-  
 nesiano tantum erat, Septimo Idus, spatio tamen  
 alteri voci relicto, quam non temerè ex historiâ ad-  
 didi.

Aster aut Cœlius, aut ipse Cicero? Agere enim fortius iam & audentius volo, si illud antè prædixero, mutari cum temporibus formas & genera dicendi. Sicut Catoni seni comparatus C. Gracchus, plenior & vberior: sic Graccho politior & ornatior, Crassus: sic vtroque distinctior & vrbanius & altior, Cicero: Cicerone mitior Coruinus & dulcior, & in verbis magis elaboratus. Nec quæro quis disertissimus: hoc interim probasse contentus sum, non esse vnum eloquentiæ vultum; sed in illis quoque quos vocatis antiquos, plures species deprehendi: nec statim deterius esse quod diuersum est: vitio autem malignitatis humanæ vetera semper in laude; præsentia in fastidio esse. Num dubitamus inuentos, qui pro Catone Appium Cæcum magis mirarentur? Satis constat nec Ciceroni quidem obrectatores defuisse, quibus inflatus & tumens, nec satis pressus, supra modum exultans & superfluens, & <sup>52</sup> parum antiquus videretur. Legisti utique & <sup>53</sup> Calui & Bruti ad Ciceronem missas epistolas. ex quibus facile est deprehendere, Caluum quidem Ciceroni visum exsanguem, & attritum, Brutum autem <sup>54</sup> otiosum atque disunctum. Rursumque Ciceronem à Caluo quidem malè audiuisse, tamquam solutum & eneruatum: à Bruto autem, ut ipsius verbis vtar, tamquam fractum atque elumbem. Si me interrogas, omnes mihi videntur verum dixisse. sed mox ad singulos veniam, \* nec mihi cum vniuersis negotium est. Nam quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis constituere solent, quem vsque <sup>55</sup> ad Cassium Seuerum faciunt, quem primum affirmant flexisse ab illâ vetere, atque dicendi viâ directâ: \* non infirmitate ingenij, nec incitiâ litterarum, transtulisse se ad id dicendi genus contendo, sed iudicio & intellectu. Vidit namque, ut paullo antè dicebam, cum conditione temporum ac diuersitate atrium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam. Facile perferbat prior iste populus, ut imperitus & rudis, imperitissimarum orationum spatia: atque id ipsum laudi dabatur, si dicendo quis diem eximeret. Ita verò longa principiorum præparatio, & narrationis altè repetita series, & multatum diuisionum ostentatio, & mille <sup>56</sup> argumentorum gradus, & quidquid aliud aridissimis Hermagoræ & Apollodori libris præcipitur, in honore erat: & si quis odoratus philosophiam, atque ex eâ locum aliquem orationi suæ insereret, in cælum laudibus ferebatur. Nec mirum. erant enim hæc noua & incognita: & ipsorum quoque oratorum paucissimi, præcepta rhetorum aut philosophorum placita cognouerant. At hercule peruulgatis iam omnibus, cum vix <sup>57</sup> in cortinâ quisquam assistat, qui elementis studiorum & si non instructus, at certè imbutus sit, nouis & exquisitis eloquentiæ itineribus opus est, per quæ orator fastidium aurium effugiat, utique apud eos iudices qui vi aut potestate non iure & legibus cognoscunt, & nec accipiunt tempora sed constituunt, nec expectandum habent oratorem dum illi libeat de ipso negotio dicere, sed sæpè vltro admonent, atque aliò transgredientem reuocant, & festinare se restantur. Quis nunc ferat oratorem de infirmitate valetudinis suæ præfantem? qualia sunt ferè principia Coruini. Quis quinque in Verrem libros expectauerit? Quis de exceptione & formulâ

Cap. 19.  
\* nunc

Cap. 20.

perpe-

52. PARVM ANTIQVVS.] Legam, parum Atticus. quod Ciceroni obiectum etiam vido: & (cur negemus?) in quibusdam eius scriptis verè.

53. CALVI ET BRUTI AD CICERONEM EPISTOLAS.] Ex iisdem Fabius hausit, libro XII. Neque ipse Ciceroni Demosthenes videatur satis esse perfectus; nec Cicero Bruto Caluoque, qui certè compositionem ipsius etiam apud ipsum reprehendunt. Adde sequentia.

54. OTIOSVM.] Fortasse, odiosum: id est, adfectione quadam & asperitate dictionis molestum. Nam ex reliquis epistole vnius aut alterius, nihil minus quàm otiosus Brutus, acer vbiq; & intentus. Disiunctum autem capio, quo sensu Senecam dixere Arenam sine calce. nec muto.

55. AD CASSIVM SEVERVM.] Probum censo. Vetus tamen, Cassium quem reum faciunt.

56. ARGVMENTORVM GRADVS.] Rom. editio, argumentorum genera.

57. INCORTINA.] Alij Coronâ legunt. si illud rectum; non aliud ceperim, quàm subselliorum iuxta tribunal locum, in quo non aduocati solum, sed scribæ, pracones, atque id genus operæ forenses consistebant. Seuerus in Atnâ pro theatri incuruâ parte dixisse videtur: — magni cortina theatri.

Vide etiam, an non Assistere, hic propriè de Assellis aut Fautoribus, qui Oratori se adiungebant. Ita statim: Vulgus quoque assistentium, & affluens & vagus auditor. Distinguit ab auditore fortuito & incerto.

58. TVR-

perpetietur illa immensa volumina, quæ pro M. Tullio aut A. Cæcinâ legimus? Præcurrit hoc tempore iudex dicentem, & nisi aut cursu argumentorum, aut colore sententiarum, aut nitore & cultu descriptionum inuitatus & corruptus est, auersatur dicentem. Vulgus quoque assistentium, & affluens & vagus auditor, assuevit iam exigere lætitiâ & pulchritudinem orationis; nec magis perfert in iudiciis tristem & impexam antiquitatem, quàm si quis in scenâ Roscij, aut <sup>58</sup> Turpionis Ambiuuij exprimere gestus velit. Iam verò iuuenes & in ipsâ studiorum incude positi, qui profectus sui causâ oratores sectantur, non solùm audire, sed etiam referre domum aliquid illustre & dignum memoriâ volunt. Traduntque inuicem, ac sæpè in colonias ac prouincias suas scribunt, siue in <sup>\*</sup> suis aliquis argutâ & breui sententiâ effulsit, siue locus exquisito & poëtico cultu enituit. Exigitur enim iam ab oratore etiam poëticus decor, non Attij aut Pacuuij veterno inquinatus, sed ex Horatij & Virgilij & Lucani sacrario prolatus. Horum igitur auribus & iudiciis obtemperans nostrorum oratorum ætas, pulchrior & ornatio extitit. Neque idèò minùs efficaces sunt orationes nostræ, quia ad aures iudicantium cum voluptate perueniunt. Quid enim si infirmiora horum temporum templa credas, quia non rudi cæmento, & informibus tegulis exstruuntur, sed marmore nitent & auro radiantur? Equidem fatebor vobis simpliciter, me in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam autem vix somnum tenere, <sup>59</sup> nec vnum de populo <sup>\*</sup> Canuti aut Aride Furnio & Toranio, quiq; alios in eodem valetudinario hæc ossa & hanc maciem probant. Ipse mihi Caluus cum vnum & viginti, vt puto, libros reliquerit, vix in vnâ aut alterâ oratiunculâ satisfacit. nec dissentire ceteros ab hoc meo iudicio video. quotus enim quisque Calui in <sup>60</sup> Asitium aut in Drusum legit? at hercule in hominum studiosorum manibus versantur accusationes, quæ in Vatinium <sup>\*</sup> conscribuntur, ac præcipuè secunda ex his oratio. est enim verbis ornata, & sententiis, auribus iudicum accommodata: vt scias ipsum quoque Caluum intellexisse quid melius esset, nec voluntatem quin sublimiùs & cultiùs diceret, sed ingenium ac vires defuisse. Quid ex Cælianis orationibus? nempe <sup>61</sup> hæc placent, siue in vniuersâ <sup>\*</sup> parte factum in quibus nitorem & altitudinem horum temporum agnoscimus. Sordes autem verborum, & hians compositio & inconditi sensus redolent antiquitatem. nec quemquam adèò antiquarium puto, vt Cælium ex eâ parte laudet, quâ antiquus est. Concedamus sanè C. Cæsari, vt propter magnitudinem cogitationum & occupationes rerum, minus eloquentiâ effecerit, quàm diuinum eius ingenium postulabat: tam hercule quàm Brutum philosophiæ suæ relinquamus. Nam in orationibus minorem esse famâ suâ, etiam admiratores eius fatentur. nisi fortè quisquam aut Cæsaris pro Decio Samnite, aut Bruti pro Deiotaro Rege, ceterosque eiusdem lentitudinis <sup>62</sup> ac teporis libros legit, nisi qui & carmina eorundem miratur. fecerunt enim & carmina, & in Bibliothecas rettulerunt,

\* sensibus, fortè.

Cap. 21.

\* inscribuntur.

58. TURPIONIS AMBIVII.] *Malè disiungunt libri, Turpionis aut Ambiuuij. Eundem enim hominem fuisse, Terentiana epigrapha & Cicero de Senectute docent. Symmachus nominat l. i. epistolâ xxv. (optimam editionem eruditi Iureti sequor:.)* Eapropter in comædiis summam quidem gloriam scriptores tulerunt: Roscio tamen atque Ambiuio ceterisque actoribus fama non defuit. *Idem lib. x. epist. ii.* Non idem honor in pronuntiandis fabulis P. Pollioni quàm Bauio fuit, neque par Æsopo Etrusco fama processit. *quæ verba simul vt legi, emendata à me,* qui Ambiuio fuit, neque par Æsopo & Rufcio (siue Roscio) fama. *Fortasse & Pellioni hic scribendum, vt sit ille Pello Plantinus.*

59. NEC VNVM DE POPVLO CANVTI.] *Liber vetus: nec vnum de populo Ganuti aut Atti de Furnio & Coranio alios in eodem valetudinario.*

Fortasse: nec vnus de populo Arii de F. a. T. quique alij in. *Aliàs mihi nulla mens aut manus, quâ medear huic plage.*

60. ASITIVM.] *Anne, Asinium?*

61. HÆ PLACENT, SIVE IN VNIVERSA PARTE FACTVM.] *Mendosa & ista. liber scriptus, siue vniuersâ parte ferum. Valde placet lectio quam Fr. Modius mihi adnotauit, hæc placent, si non vniuersæ, per partes attamen.*

62. AC TEPORIS.] *Vera nostra coniectura, cum esset, ac temporis. nisi placet magis, ac tenoris. De tepore adfirmat, quod pari metaphora de Cicerone mox scribit, tardè commouetur, rarè incalescit. Agnosco idem vitij in Plinij loco, libro v. epistolâ vi. Cælum est hieme frigidum & gelidum: myrtos, oleas, quæque alia æstiuo tempore latantur, aspernatur ac respuit. Scribo, æstiuo tepore.*

Arunt, non melius quàm Cicero, at felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt. Asinius quoque, quamquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenius & Appios studuisse. Pacuuium certè, & Attium, non solùm tragœdiis, sed etiam orationibus suis expressit. adeò datus & fectus est. Oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in quâ non eminent venæ, nec ossa numerantur: sed temperatus ac bonus sanguis implet membra & exsurgit toris, ipsos quoque nervos rubore tegit & decore commendat. Nolo Coruini insequi, quia non per ipsum stetit quo minus lætitiâ nitoremque nostrorum temporum exprimeret. <sup>63</sup> viderimus \* inquam iudicio eius vis aut animi aut ingenij suffecerit. Ad Ciceronem venio, cui eadem pugna cum æqualibus suis fuit, quæ mihi vobiscum est. Illi enim antiquos mirabantur, ipse suorum temporum eloquentiam anteponebat. nec vllâ re magis eiusdem ætatis oratores præcurrit, quàm iudicio. Primus enim excoluit orationem, primus & verbis dilectum adhibuit, & compositioni artem: locosque lætiores attentavit, & quasdam sententias inuenit: vtique in his orationibus quas senior iam & iuxta finem vitæ composuit. id est, postquam magis profecerat, vsuque & experimentis didicerat, quod optimum dicendi genus est. Nam priores eius orationes, non carent vitiis antiquitatis. lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus: tardè commouetur, rarè incalescit: <sup>64</sup> pauci sensus opt. & cum quodam lumine terminantur. <sup>65</sup> nihil excerpere, nihil referre possis: & velut in rudi ædificio, firmus sanè paries & duraturus, sed non satis expolitus & splendens. Ego autem oratorem, sicut locupletem ac <sup>66</sup> laudatum patrem familiæ, non eo tantùm volo tecto tegi, quod imbrem ac ventum arceat, sed etiam quod visum & oculos delectet: non eâ solùm instrui supellectile quæ necessariis vsibus sufficiat, sed sit in apparatu eius, & aurum, & gemmæ, vt sumere in manus, & aspicere sæpius <sup>67</sup> liceat: quædam verò procul arceantur, vt iam obliterata & olentia: nullum sit verbum velut rubigine infectum, nulli sensus tardâ & inerti structurâ, in morem Annalium, componantur: fugiat scædam & insulsam scurrilitatem, variet compositionem, nec omnes clausulas vno & eodem modo terminet. Nolo irridere *Rotam* <sup>Cap. 23.</sup> *fortuna*, & *Ius Verrinum*, & illud tertio quoque sensu in omnibus pro sententiâ positum, *Essè videatur*. Nam & hoc <sup>68</sup> inuitus rettuli, & plura omisi, quæ tamen sola mirantur atque expriment hi qui se antiquos <sup>69</sup> oratores vocabant. neminem nominabo, genus hominum signasse contentus: sed vobis vtique versantur ante oculos, qui Lucilium pro Horatio, & Lucretium pro Virgilio legunt: quibus eloquentia tui Aufidij Bassi, aut Scruilij Noniani, ex comparatione Sisennæ aut Varronis sordet: qui rhetorum nostrorum commentarios fastidiunt, oderunt, Calui mirantur: quos more prisco apud iudicem fabulantes, non auditores sequuntur, non populus audit, vix denique litigator perpetitur. <sup>70</sup> adeò mæsti & inculti, illam ipsam quam iactant sanitatem, infirmitate & ieiunio consequuntur. Porro ne in corpore quidem valetudinem medici probant, quæ animi anxietate contingat. parum est ægrum non esse, fortem & lætum & alacrem volo: propè abest ab infirmitate, in quo sola sanitas laudatur. Vos verò disertissimi, vt potestis, vt facitis, illustrate sæculum nostrum pulcherrimo genere dicendi. Nam & D te Messalla, video lætissima quæque antiquorum imitantem: & vos Maternæ ac Secunde,

\* in quantum  
Cap. 22.

Cap. 23.

63. VIDERIMVS INQVAM IVDICIO EIVS. ] *Lego, Viderimus inquam an iudicio eius vis animi aut ingenij suffecerit.*

64. PAVCI SENSVS OPT. ] *Vetus, sensus optet cum. Rom. editio sensus opacus. Fortè, opacius & cum q. l. terminantur. vt ad picturam respectus sit, in quâ lumen nos delectat, sed cum quadam umbrâ.*

65. NIHIL EXCERPERE, NIHIL REFERRE POSSIS. ] *Perspicua libri bonitas. Aliàs, nihil ex tempore referre possis.*

66. LAVDATVM PATREM FAMILIÆ. ] *Ego non dubitem scribere, ac lautum.*

67. LICEAT. ] *Rodolphus benè, libeat.*

68. INVITVS RETTVLI. ] *Rom. codex, inuitatus. non malè, quia laceffitum significat sese, ad hæc promenda, ab Messallâ.*

69. ORATORES VOCABANT. ] *Scribe, vocant.*

70. ADEÒ MÆSTI ET INCVLT, &c. ] *Rodolphus hæc legit, inculti, vt illam ipsam quam iactant sanitatem, non infirmitate sed ieiunio consequantur.*

cunde, ita grauitati summum nitorem & cultum verborum miscetis; ea electio inuen- A  
tionis, is ordo rerum, & quotiens causa poscit, vbertas; ea quotiens permittitur, breui-  
tas; is compositionis decor, <sup>71</sup> sententiarum planitas, sic exprimitis affectus, sic liberta-  
tem temperatis: vt etiam si nostra iudicia malignitas & inuidia tardauerit, verum de  
Cap.24. vobis dicturi sint posteri nostri. Quæ cum Aper dixisset, Agnoscitis ne, inquit Mater-  
nus, vim & ardorem Apri nostri? quo torrente, quo impetu sæculum nostrum defendit?  
quàm copiosè ac variè vexauit antiquos? quanto non solùm ingenio ac spiritu, sed etiam  
eruditione & arte, ab ipsis mutuatus est, per quæ mox ipsos inceseret? Tuum tamen  
Messalla promissum immutasse non debes. neque enim defensores antiquorum exigimus,  
nec quemquam nostrorum, quamquam modò laudati sumus, his quos insectatus  
est Aper, comparamus. ac ne ipse quidem ita sentit, sed more veteri <sup>72</sup> & \* aliis vestris  
philosophis sæpè celebrato, sumsit sibi contradicendi partes. Exprime nobis non lauda-  
tionem antiquorum, satis enim illos fama sua laudat, sed causas cur intantum ab elo-  
quentiâ eorum recesserimus; cum præsertim centum & xx. annos ab interitu Cicero-  
nis in hunc diem effici ratio temporum collegerit. Tum Messalla: Sequar à te præ- B  
scriptam formam Maternæ. neque enim diu contradicendum est Apro, qui primùm,  
vt opinor, <sup>73</sup> nominis controuersiam mouit, tamquam parum propriè antiqui voca-  
rentur, quos satis constat ante centum annos fuisse. Mihi autem de vocabulo pugna  
non est, siue illos antiquos, siue maiores, siue quo alio mauult nomine appellet: dum-  
modò in confesso sit, eminentiorem illorum temporum eloquentiam fuisse. Ne illi qui-  
dem parti sermonis eius repugno, <sup>74</sup> si comminus fatetur plures formas dicendi etiam  
iisdem sæculis, nedum diuersis existisse. Sed quomodo inter Atticos oratores primæ  
Demostheni tribuuntur, proximum autem locum Æschines & Hyperides & Lyfias &  
Lycurgus obtinent; omnium autem consensu hæc oratorum atas maximè probatur:  
sic apud nos Cicero quidem ceteros eorumdem temporum disertos antecessit: Caluus  
autem & Asinius & Cæsar & Cælius & Brutus <sup>75</sup> sic iure & prioribus & sequentibus  
anteponuntur. nec refert quòd inter se specie differant, cum genere consentiant. At  
strictior Caluus, numerosior Asinius, splendidior Cæsar, amarior Cælius, grauior Bru- C  
tus, vehementior & plenior & valentior Cicero; omnes tamen eandem sanitatem elo-  
quentiæ ferunt: vt si omnium pariter libros <sup>76</sup> in manus sumseris, quamuis in diuersis  
ingeniis, esse quamdam iudicij ac \* voluminis similitudinem & cogitationem. Nam  
quòd inuicem se obrectauerunt, & supersunt aliqua epistolis eorum inserta, ex quibus  
mutua malignitas detegitur, non est oratorum vitium, sed hominum. Nam & Cal-  
uum & Asinium & ipsum Ciceronem credo solitos & inuidere, & liuere, & ceteris hu-  
manæ infirmitatis vitiis affici. solum inter hos arbitror Brutum, non malignitate nec  
inuidiâ, sed simpliciter & ingenuè iudicium animi sui detexisse. an inuideret Ciceroni,  
qui mihi videtur ne Cæsari quidem inuidisse? Quod ad Ser. Galbam & C. Lælium  
attinet, & si quos alios antiquorum agitare non destitit, non exigit defensorem, cum fa-  
tear quædam eloquentiæ eorum, vt nascenti adhuc nec satis adultæ defuisse. Ceterùm  
Cap.26. si omissio optimo illo, & perfectissimo genere eloquentiæ, eligenda sit forma dicendi;  
malim hercule C. Gracchi impetum, aut L. Crassi maturitatem, quàm calamistros Mæ- D  
cenatis, aut tinnitus Gallionis. adeò melius oratorem vel hirtâ togâ induere, quàm  
fucatis & meretriciis vestibus insignire. Neque enim oratorius iste, immò hercule ne  
viti-

71. SENTENTIARVM PLANITAS. ] *Nescio an, sanitas.*

72. ET ALIIS VESTRIS. ] *Ex veteri lego, aliàs à vestris.*

73. NOMINIS CONTROVERSIAM MOUIT, &c. ] *Hæc stigmatè vulgò iniusta. nos dempsimus & eluimus, adiuti à libro.*

74. SI COMMINVS FATETVR. ] *Pythæus, si communiùs fatetur.*

75. SIC IURE. ] *Lego, suo iure. Liber tamen scriptus, sic verè.*

76. IN MANVS SUMSERIS, QUAMVIS, &c. ] *Monere me in primâ editione aliquid de hoc loco fugit. qui non difficilis aliàs emendatu & expletu, ex libro scripto. Nam is voculam inserit, sumpservis sciam quamuis, &c. Lego: in manus sumpservis, scias quamuis in diuersis ingenis esse quamdam iudicij ac voluntatis similitudinem & cognationem.*

A virilis quidem cultus est, quo <sup>77</sup> plerique temporum nostrorum actores ita vtuntur, vt lasciuia verborum & leuitate sententiarum, & licentia compositionis, histrionales modos expriment. quodque vix auditu fas esse debeat, laudis & gloriae, & ingenij loco plerique iactant, cantari saltarique commentarios suos. Vnde oritur illa foeda & praepostera, sed tamen frequens quibusdam exclamatio, vt oratores nostri <sup>78</sup> tenerè dicere, histriones disertè saltare dicantur. Equidem non negauerim Cassium Seuerum, quem solum Aper noster nominare ausus est, si his comparatur qui postea fuerunt, posse oratorem vocari, quamquam in magna parte librorum suorum plus vis habeat quam sanguinis. Primus enim contempto ordine rerum, omisa modestia, ac pudore verborum, ipsis etiam quibus vritur armis incompositus, & studio feriendi plerumque <sup>79</sup> deiectus non pugnat, sed rixatur. Ceterum, vt dixi, sequentibus comparatus, & varietate eruditionis, & lepore urbanitatis, & ipsarum virium robore, multum ceteros superat. quorum neminem Aper nominare, & velut in aciem educere sustinuit. Ego autem expectabam, vt incusato Asinio, & Coelio, & Caluo, <sup>80</sup> aliud nouum agmen produceret, plurisque vel certè totidem nominaret, ex quibus alium Ciceroni, alium Caesari, singulis demum singulos opponeremus. Nunc detractasse nominatim antiquos oratores contentus, neminem sequentium laudare ausus est, nisi in publicum & in commune. veritus credo ne multos offenderet, si paucos excerpisset. quorum enim quisque scholasticorum non hac sua persuasione fruitur, vt se ante Ciceronem numeret, sed planè <sup>81</sup> post Gabinianum? At ego non verebor nominare singulos, quo facilius propositis Cap. 27. exemplis appareat quibus gradibus fracta sit & deminuta eloquentia. Appropera, inquit Maternus, & potiùs exsolue promissum. neque enim hoc colligi desideramus, disertiores esse antiquos, quod apud me equidem in confesso est, sed causas exquirimus, quas te solitum tractare, <sup>82</sup> paullo antè, planè mitiore eloquentia & temporum nostrorum, \* miratus, antequam te Aper offenderet maiores tuos lacecendo. Non sum, inquit, offensus <sup>83</sup> Aprina disputatione, nec vos offendi decebit, si quid fortè aures vestras perstringet, cum sciatis hanc esse eiusmodi sermonum legem, iudicium animi citra damnum affectus proferre. <sup>84</sup> Perge, inquit Maternus, de antiquis loquaris. vt ere antiqua libertate, à qua vel magis degenerauerimus, quam ab eloquentia. Et Messalla, Non recon- Cap. 28. ditas Materne causas requiris, nec aut tibi ipsi, aut huic Secundo, vel huic Apro ignotas, <sup>85</sup> & iam mihi partes assignatis proferendi in medium, quae omnes sentimus. Quis enim ignorat & eloquentiam & ceteras artes desciuisse ab ista vetere gloria, non inopia hominum, sed desidia iuuentutis, & negligentia parentum, & inscientia praecipientium, & obliuione moris antiqui? quae mala primùm in vrbe nata, mox per Italiam fusa, iam in prouincias manant: quamquam nostra nobis notiora sunt. Ego de vrbe & his propriis ac vernaculis vitiis loquar, quae natos statim excipiunt, & per singulos aetatis gradus cumulantur, si priùs de seueritate ac disciplina maiorum circa educandos formandosque

77. PLERIQUE TEMPORVM NOSTRORVM.] *Optimè vetus. Erat antea, plerique ipsorum nostrorum.*

78. TENERE DICERE.] *Audacter reposui, etsi à coniectura. Nam libris omnibus est, temere. Plinius illustrat correctionem hanc satis & firmat lib. II. epist. XIV. Pudet referre, quae, quam fracta pronuntiatione, dicantur: quibus, quam teneris clamoribus excipiantur. Plautus tantum, ac potiùs sola cymbala & tympana, illis cantibus desunt.*

79. DEIECTVS.] *Rom. codex, detectus. optimè.*

80. ALIVD NOVVM AGMEN.] *Idem liber, aliud nobis agmen.*

81. POST GABINIANVM.] *Rhetor fuit, Vespasiani aeo. de quo Eusebij Chronicon: Gabinianus cele-*

*berrimi nominis Rhetor in Gallia docuit. Ita liber qui apud me manuscriptus, probus & vetus. Vulgò Gabinius. Nominant & Hieronymus & Suetonij index de claris Rhetoribus: quod doctissimus & optimus Nic. Faber adnotauit.*

82. PAVLLO ANTE, PLANE MITIORE.] *Quidam liber, paullo antè dixisti, planè mitiore.] Sed haec & sequentia tamen in mendo.*

83. APRINA DISPUTATIONE.] *Commode videtur ita fecisse, cum libri praferrent, à prima disputatione.*

84. PERGE, INQVIT MATERNVS, DE ANTIQVIS.] *Scribe è scripto: inquit Maternus, & cum de antiquis loquaris, vt ere.*

85. ET IAM MIHI PARTES.] *E vestigijs praescis, etiam si mihi. Nam in scripto est, etenim iam si mihi.*



dosque liberos pauca prædixero. Iamprimùm suus cuique filius ex castâ parente natus, A non in cellâ emtæ nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur, cuius præcipua laus erat, tueri domum, & inservire liberis. Eligebatur autem aliqua maior natu propinqua, cuius probatis spectatisque moribus, omnis cuiuspiam familiæ suboles committeretur, coram quâ neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere quod inhonestum factu videretur. Ac <sup>86</sup> non studia solum moresque, sed remissiones etiam lususque puerorum, sanctitate quadam ac verecundiâ temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris, sic Attiam Augusti matrem præfuisse educationibus, ac produxisse Principes liberos accepimus. quæ disciplina ac severitas eò pertinebat, ut sincera & integra, & nullis prauitatibus detorta vniuscuiusque natura, toto statim pectore arripere artes honestas: & siue ad rem militarem, siue ad iuris scientiam, siue ad eloquentiæ studium inclinasset, id solum ageret, id vniuersum hauriret. At nunc natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adiungitur vnus aut alter ex omnibus seruis plerumque vilissimus, nec cuiquam serio ministerio accommodatus. horum fabulis & erroribus, teneri statim & rudes animi imbuuntur. Nec quisquam in totâ domo pensi habet, quid B coram infante domino, aut dicat, aut faciat: quando etiam ipsi parentes nec probitati neque modestiæ paruulos assuefaciunt, sed <sup>87</sup> lasciuia & libertati. per quæ paullatim impudentia irrepit, & sui alienique contemptus. Iam verò propria & peculiaria huius vrbs vitia pænè in vtero matris concipi mihi videntur, histrionalis fauor, & gladiatorum equorumque studia. quibus occupatus & obsessus animus quantum loci bonis artibus relinquit? quorum quemque inueneris qui domi quidquam aliud loquatur? quos alios adolescentulorum sermones excipimus, si quando auditoria intrauimus? Nec præceptores quidem vllas crebriores cum auditoribus suis fabulas habent. colligunt enim discipulos non severitate disciplinæ, nec ingenij experimento, sed ambitione salutantium, & illecebris adulationis. Transeo prima discipulorum elementa, in quibus & ipsis parum elaboratur. nec in auctoribus cognoscendis, nec in euoluendâ antiquitate, nec in notitiam vel rerum, vel hominum, vel temporum, satis operæ insumitur. sed expetuntur quos Rhetoras vocant: quorum professio quando primùm in hanc urbem introdu- C cta sit, quamque nullam apud maiores nostros auctoritatem habuit, <sup>88</sup> statim de \* curiis. Referam necesse est animum ad eam disciplinam, quâ vsos esse eos oratores accepimus, quorum infinitus labor & cottidiana meditatio, & in omni genere studiorum exercitationes, ipsorum etiam continentur libris. Notus est vobis utique Ciceronis liber qui Brutus inscribitur, in cuius extremâ parte, (nam prior commemorationem veterum oratorum habet,) sua initia, suos gradus, suæ eloquentiæ velut quamdam educationem refert. se apud Q. Mucium ius ciuile didicisse, apud Philonem Academicum, apud Diodotum Stoicum omnis philosophiæ partes penitus hausisse: neque his doctoribus contentum, quorum ei copia in vrbe contigerat, Achaiam quoque & Asiam peragrassè, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur. Itaque hercule in libris Ciceronis deprehendere licet, non geometriæ, non musicæ, non grammaticæ, non denique vllius ingenuæ artis scientiam ei defuisse. Ille dialecticæ subtilitatem, ille moralis partis utilitatem, ille rerum motus causasque cognouit. ita enim est, optimi viri, ita, ex D multâ eruditione, ex pluribus artibus, & omnium rerum scientiâ, exundat & exuberat illa admirabilis eloquentia. neque oratoris vis & facultas, sicut ceterarum rerum, angustis & breuibus terminis cluditur: sed is est orator, qui de omni quæstione pulchrè & ornatè & ad persuadendum aptè dicere, pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium possit. Hæc sibi illi veteres persuadebant. ad hæc efficienda intelligebant opus esse, non ut rhetorum scholis declamarent, nec ut fictis nec vlllo

Cap. 30.

Cap. 31.

86. NON STUDIA SOLVM MORESQUE.] *Vetus Farnes.* studia modò curasque: aptius ad sequentia.

87. LASCIVIA ET LIBERTATI.] *Vetus:* lasciuia & bibacitati.

88. STATIM DE \* CVRIIS.] *Ita & vetus.* suspirabar, statim decursis his. *idem modo dicam videlicet aut promam.* Sed placet magis Rodolphi scriptio, statim docuero. *Pythæus edidit,* statim audietis: *nescio an è libro.*

A vlllo modo ad veritatem accedentibus controuersis linguam modò & vocem exercent, sed vt his artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honesto ac turpi, de iusto & iniusto disputatur. Hæc enim est oratori subiecta ad dicendum materia. Nam in iudiciis ferè de æquitate, in deliberationibus de honestate dicimus, ita vt plerumque hæc ipsa inuicem misceantur. de quibus copiosè & variè & ornate nemo dicere potest, nisi qui cognouit naturam humanam, & vim virtutum, prauitatemque viorum, & intellectum eorum quæ nec in virtutibus neque in vitiis numerantur. Ex his fontibus etiam illa profluunt, vt faciliùs iram iudicis vel instiget vel leniat, <sup>89</sup> qui scit quid ira: promptiùs ad miserationem impellat, qui scit quid sit misericordia, & quibus animi motibus concitetur. In his artibus exercitationibusque versatus orator, siue apud infestos, siue apud cupidos, siue apud inuidentes, siue apud tristes, siue apud timentes dicendum habuerit, tenebit habenas animorum: & prout cuiusque natura postulabit, adhibebit manum, & temperabit orationem, parato omni instrumento, & ad omnem vsum reposito. Sunt apud quos astrictum, & collectum, & singula statim argumenta  
 B concludens dicendi genus, plus fidei meretur. apud hos dedisse operam dialecticæ proficiet. Alios fusa, & æqualis, & ex communibus ducta sensibus oratio, magis delectat. ad hos permouendos mutuabimur aliquid <sup>90</sup> à Peripateticis. hi aptos & in omnem disputationem paratos iam locos dabunt: Academici pugnacitatem, Plato altitudinem, Xenophon iucunditatem. ne Epicuri quidem & Metrodori honestas quasdam exclamations assumere, hisque, prout res poscit, vti, alienum erit oratori. neque enim sapientem informamus, neque Stoicorum ciuitatem; sed eum qui non quasdam <sup>91</sup> artes audire, sed omnes liberaliter debet. Ideoque & iuris ciuili scientiam veteres oratores comprehendebant, & grammaticâ, musicâ, & geometriâ imbuebantur. Incidunt enim causæ plurimæ quidem ac pænè omnes, quibus iuris notitiâ desideratur: pleræque autem, in quibus hæc quoque scientiæ requiruntur. Nec quisquam respondeat; sufficit vt  
 C ad tempus simplex quiddam & vniforme doceamur. Primum enim aliter vtimur propriis, aliter commodatis: longèque interesse manifestum est, possideat quis quæ profert, an mutuetur. Deinde ipsa multarum artium scientia etiam aliud agentes nos ornat, atque vbi minimè credas, eminent & excellit. Idque non doctus modò & prudens auditor, sed etiam populus intelligit: ac statim ita laude prosequitur, vt legitimè studuisse, vt per omnes eloquentiæ numeros isse, vt denique oratorem etiam fateatur. quem non posse aliter exsistere, nec exstitisse vnquam confirmo, nisi eum qui tamquam in aciem omnibus armis instructus, sic in forum omnibus artibus armatus exierit. quod adeò negligitur ab horum temporum disertis, vt in actionibus eorum fex quoque cottidiani sermonis, scæda ac pudenda vitia deprehendantur, vt ignorent leges, non teneant S. C., ius ciuitatis vltro derideant: sapientiæ verò studium & præcepta prudentium penitus reformident: in paucissimos sensus & angustas sententias detrudant eloquentiam, velut expulsam regno suo: vt quæ olim omnium artium domina pulcherrimo comitatu pectora implebat, nunc circumcisa & amputata, sine apparatu, sine honore, pænè dixerim sine ingenuitate, quasi vna ex sordidissimis artificijs discatur. Ergo hanc primam & præcipuam causam arbitror, cur tantum ab eloquentiâ antiquorum oratorum recesserimus. Si testes desiderantur, quos potiores nominabo quàm apud Græcos Demosthenem? quem studiosissimum Platonis auditorem fuisse memoriæ proditum est. Et Cicero his vt opinor verbis, *quidquid in eloquentiâ effecerit, id se non rhetorum, sed Academia spatii consecutum.* Sunt aliæ causæ magnæ & graues, quas à vobis aperiri æquum est, quoniam quidem ego iam meum munus expleui, & quod mihi in consuetudine est, satis multos offendi: qui si fortè hoc \* audirent, certum habeo dicturos, me, dum iuris \* audierint,

&amp;

89. QVI SCIT QUID IRA: PROMPTIUS, &c.] Ita scripsi & distinxi, turbantibus libris.

90. A PERIPATETICIS. HI APTOS, &c.] Valde mihi placeat cum Rodolpho hæc omnia scribi & distinguere: à Peripateticis. aptos & in om-

nem disciplinam paratos iam locos dabunt Academici; Stoici pugnacitatem; Plato altitudinem, & cetera.

91. ARTES AUDIRE.] Malo, artes adire: vel haurire: & statim liberales, pro liberaliter.

Cap. 33. & philosophiæ scientiam tamquam oratori necessariam laudò, ineptiis meis plausisse. A  
 Et Maternus, Mihi quidem, inquit, susceptum à te munus adeò peregrisse nondum videris, ut inchoasse tantum, & velut vestigia ac lineamenta quædam ostendisse videaris. Nam quibus instrui veteres oratores soliti sint, dixisti, differentiamque nostræ desidiæ & inscientiæ aduersus acerrima & fecundissima eorum studia demonstraisti; cetera expecto, ut quemadmodum ex te didici quid aut illi scirent, aut nos nesciamus, ita hoc quoque cognoscam, quibus exercitationibus iuuenes iam & forum ingressi confirmare & alere ingenia sua soliti sint. neque enim arte & scientiâ, sed longè magis<sup>92</sup> facultate eloquentiam contineri, nec tu puto abrueris, & hi significare vultu videntur. Deinde cum Aper & Secundus idem annuissent, Messalla quasi rursus incipiens: Quoniam initia & semina veteris eloquentiæ satis demonstraſſe videor, docendo quibus artibus antiqui oratores institui erudiri que soliti sint, persequar nunc exercitationem eorum: quamquam ipsis artibus inest exercitatio, nec quisquam percipere tot reconditas aut tam varias res potest, nisi ut scientiæ meditatio, meditationi facultas, facultati vis eloquentiæ accedat. per quæ colligitur eamdem esse rationem, & percipiendi quæ proferas, B & proferendi quæ perceperis. sed si cui obscuriora hæc videntur, isque scientiam ab exercitatione separat, id certè concedet, instructum & plenum his artibus animum, longè paratiorem ad eas exercitationes venturum, quæ<sup>93</sup> propriæ circa oratoriam videntur.

Cap. 34. Ergo apud maiores nostros iuuenis ille, qui foro & eloquentiæ parabatur, imbutus iam domesticâ disciplinâ, refertus honestis studiis, deducebatur à patre, vel à propinquis, ad eum oratorem qui principem locum in ciuitate tenebat. hunc sectari, hunc prosequi,<sup>94</sup> huius omnibus dictionibus interesse, siue in iudiciis, siue in concionibus assuescebat, ita ut altercationes quoque excipere, & iurgiis interesse, utque sic dixerim, pugnare in prælio disceret. magnus ex hoc usus, multum constantiæ, plurimum iudicij iuuenibus statim contingebat, in mediâ luce studentibus atque inter ipsa discrimina, ubi nemo impunè stultè aliquid, aut contrariè dicit, quo minus & iudex respuat, & aduersarius exprobet, ipsi denique aduocari aspèrentur. Igitur verâ statim & incorruptâ eloquentiâ imbuebantur: & quamquam vnum sequerentur, tamen omnes eiusdem C ætatis patronos in plurimis & causis & iudiciis cognoscebant: habebantque ipsius<sup>95</sup> populi diuersissimarum aurium copiam, ex quâ facillè deprehendebatur quid in quoque vel probaretur vel displiceret. Ita nec præceptor deerat optimus quidem & electissimus, qui faciem eloquentiæ non imaginem præstaret: nec aduersarij & æmuli, ferro non<sup>96</sup> sudibus dimicantes: sed auditorium semper plenum, semper nouum, ex inuidis & fauentibus,<sup>97</sup> ut nec benè dicta dissimularentur. Scitis enim magnam illam & duraturam eloquentiæ famam, non minùs in diuersis subselliis parari quàm suis; quin immò constantius surgere ibi, fidelius corroborari. Atque herculè sub eiusmodi præceptionibus iuuenis ille de quo loquimur, oratorum discipulus, fori auditor, sectator iudiciorum, eruditus & assuefactus alienis experimentis, cui cottidie audienti notæ leges, non noui iudicum vultus, frequens in oculis consuetudo concionum, sæpè cognitiæ populi aures, siue accusationem susceperat, siue defensionem,<sup>98</sup> solus statim & vnus cuiusque causæ par erat. Nonodecimo ætatis anno L. Crassus C. Carbonem, D

92. FACULTATE ELOQUENTIAM CONTINERI.] Rodolphus appositè inserit, facultate & meditatione eloquentiam.

93. PROPRIÆ CIRCA ORATORIAM.] Rodolphus, propriæ esse oratorum videntur. sed ab ingenio, ut solet, non à libris. Ego insigni metaphorâ locum ornem: propriæ Circo oratorio videntur. Quia de exercitationibus loquitur, eleganter Circum adiungit, qui pugnis & exercitiis destinatus.

94. HVIVS OMNIBVS DICTIONIBVS, &c.] Verus hos aliquot inserui à Farnesiano libro, magno libelli huius bono. Alij enim omnes hinc mutili.

95. POPVLI DIVERSISSIMARVM AVRIVM.] Rodolphus copulâ adiectâ, populi & diuersissimarum. Credo fuisse, populi. i. diuersissimarum. quæ nota significat, id est.

96. SVDIBVS DIMICANTES.] Manifestò, rudibus. Nam hæc à gladiatoribus sumpta.

97. VT NEC BENE DICTA.] Rodolphus auctius: nec malè nec benè: sententiâ quidem valde fauente.

98. SOLVS STATIM ET VNVS CVICVMQVE CAVSSÆ.] Ita vetus. Non malè etiam vulgò, statim vnique cuiusque.

A<sup>99</sup> vno & vicesimo Cæsar Dolabellam, altero & xx. Asinius Pollio C. Catonem, non multò ætate antecedens Caluus Vatinius, iis orationibus insecuti sunt, quas hodieque cum admiratione legitur. At nunc adolescentuli nostri deducuntur in <sup>100</sup> scenas Cap. 35. scholasticorum, qui rhetores vocantur: quos paullò ante Ciceronis tempora existisse, nec placuisse maioribus nostris ex eo manifestum est, quòd Marco Crasso & Domitio censoribus cludere, vt ait Cicero, ludum impudentiæ iussi sunt. Sed, vt dicere institueram, deducimur in scholas, quibus non facile dixerim vtrumne locus ipse, an condiscipuli, an genus studiorum plus mali ingeniis afferant. Nam in loco nihil reuerentiæ, sed in quem nemo nisi imperitus æquè intrat. In condiscipulis nihil profectus, cum pueri inter pueros, & adolescentuli inter adolescentulos pari securitate dicant & audiantur. Ipsæ verò exercitationes magnâ ex parte contrariæ. Nempe enim duo genera materia- rum apud rhetores tractantur, suasoriæ, & controuersiæ. <sup>101</sup> Ex iis suasoriæ quidem etsi tamquam planè leuiore & minus prudentiæ exigentes pueris delegantur; controuersiæ robustioribus assignantur, quales per fidem, & quàm incredibiliter compositæ: Cap. 36.

B Sequitur autem vt materiæ abhorrenti à veritate declamatio quoque adhibeatur. Sic fit vt tyrannidarum præmia, aut <sup>102</sup> vitiatarum electiones, aut <sup>103</sup> pestilentiae remedia, aut incesta matrum, aut quidquid in scholâ cottidie agitur, in foro vel rarò vel numquam, ingentibus verbis persequantur; <sup>104</sup> cum ad veros iudices ventum est \* rem cogitare, nihil humile, nihil abiectum eloqui poterat. Magna eloquentia; sicut flamma materiâ alitur, & motibus excitatur, & vrendo clarescit. Eadem ratio in nostrâ quoque ciuitate antiquorum eloquentiam prouexit. Nam etsi horum quoque temporum oratores ea consecuti sunt, quæ compositâ & quietâ & beatâ Rep. tribui fas erat: tamen istâ perturbatione ac licentiâ plura sibi assequi videbantur. cum mixtis omnibus & moderatore vno carentibus, tantum quisque orator saperet, quantum erranti populo persuaderi poterat. Hinc leges assiduæ, populare nomen, hinc <sup>105</sup> conciones magistratuum pænè pernoctantium in rostris, hinc accusationes potentium reorum, & assignatæ etiam domibus inimicitiae, hinc procerum factiones & assidua senatus aduersus plebem certamina. quæ singula etsi distrahebant Rempublicam, exercebant tamen illorum temporum eloquentiam, & magnis cumulare præmiis videbantur. Quia quantò quisque plus dicendo poterat, tantò facilius honores assequebatur; tantò magis in ipsis honoribus collegas suos anteibat; tantò plus apud Principes gratiæ, plus auctoritatis apud patres, plus notitiæ ac nominis apud plebem <sup>106</sup> probabat. hi clientelis etiam exterarum nationum redundabant. hos ituri in prouincias magistratus reuerebantur, hos reuersi colebant, hos & præturæ & consulatus vocare vltro videbantur. hi ne priuati quidem sine potestate erant, cum & populum & senatum consilio & auctoritate regerent. quinimo sibi ipsi persuaferant, neminem sine eloquentiâ aut assequi posse in ciuitate, aut tueri conspicuum & eminentem locum. nec mirum, cum etiam inuiti ad populum pro-

D<sup>99</sup> VNO ET VICESIMO CÆSAR. ] Suetonius in Iulio, cap. iv. accusationem hanc confert in tempus compositi belli Lepidiani, id est M. Emilio Lepido, D. Iunio Bruto COSS. Atqui Cæsar tunc vigesimumquartum annum egerit, ex Fastis & anno eius natali. Corrigimus igitur? an, vt sepè, dissensus est? ego hoc malo.

100. SCENAS SCHOLASTICORVM. ] Diuinabam olim, scholas. malè. Nam appositè Scenas appellat, loca in quibus fucata illa & personata eloquentia exercetur, velut per lusum.

101. EX IIS SVASORIÆ QVIDEM. ] Hic quoque lineas aliquot adtexui, bonam copiam mihi faciente libro. Nam aliàs, turpiter hæc habant.

102. VITIATARVM ELECTIONES. ] Rectè respicit ad legem Scholasticam, quæ raptarum dicitur.

Rapta raptoris nuptias vel mortem optet. Doctissimus Pythæus.

103. PESTILENTIÆ REMEDIA. ] Petronius hæc talia in Satyrico exagitat, & disertè, responsa in pestilentiam data. Locum totum, sis, vide.

104. CVM AD VEROS IVDICES VENTVM. ] Magna verò hic lacuna, de quâ vulgò nec suspicantur. At liber vetus præfert, & spatio grandi interposito vsque ad ea verba, rem cogitare; adiicit, Hic multum deficit. Et clarum: quia sermo sequens non Messallæ amplius, sed Materni.

105. CONCIONES MAGISTRATVM. ] A libro est. quàm ridiculè autem alij, conciones migrantium? quod à concisâ illâ ratione scribendi natum.

106. PROBABAT. ] Melius, parabat.

\* quis

ducerentur : cùm parum esset in senatu breuiter censere, nisi \* qui ingenio & eloquentiâ A  
sententiam suam tueretur : cùm in aliquam inuidiam aut crimen vocati, suâ voce respon-  
dendum haberent ; cùm testimonia quoque <sup>107</sup> in publicis non absentes nec per tabel-  
lam dare, sed coràm & præsentes dicere cogerentur. Ita ad summa eloquentiæ præmia  
magna etiam necessitas accedebat, & commoda. Disertum haberi pulchrum & glorio-  
sum, sed contrà mutum & elinguem videri, deforme habebatur. Ergo non minus rubo-  
re quàm præmiis stimulabantur. ne clientulorum loco potiusquàm patronorum nume-  
rarentur : ne traditæ à maioribus necessitudines ad alios transirent : ne tamquam iner-  
tes & non suffecturi honoribus aut non impetrarent, aut impetratos malè tuerentur.

Cap. 37.

Nescio an venerint in manus vestras hæc vetera, quæ & antiquorum bibliothecis adhuc  
manent, & nunc maximè à Muciano contrahuntur : ac iam vndecim, vt opinor, Acto-  
rum libris, & tribus Epistolarum composita, & edita sunt. Ex his intelligi potest Gn.  
Pompeium & Marcum Crassum, non viribus modò & armis, sed ingenio quoque &  
oratione valuisse : Lentulos, & Metellos, & Lucullos, & Curiones, & ceteram procerum B  
manum, multum in his studiis operæ curæque posuisse : nec quemquam illis tempori-  
bus magnam potentiam, sine eloquentiâ consecutum. His accedebat splendor rerum,  
& magnitudo caussarum, quæ & ipsa plurimum eloquentiæ præstant. Nam multum  
interest, utrùmne de furto, aut formulâ & interdicto dicendum habeas, an de ambitu  
comitiorum, expilatis sociis, & ciuibus trucidatis. quæ mala sicut non accidere melius  
est, isque optimus ciuitatis status habendus est, quo nihil tale patimur : ita cùm accide-  
rent, ingentem eloquentiæ materiam subministrabant. Crescit enim cum amplitudine  
rerum vis ingenij, nec quisquam claram & illustrem orationem efficere potest, nisi qui  
causam parem inuenit. Non, opinor, Demosthenem orationes illustrent, quas aduer-  
sus tutores suos composuit : nec Ciceronem, magnum oratorem P. Quintius defensus  
aut Licinius Archias faciunt : Catilina, & Milo, & Verres, & Antonius, hanc illi fa-  
mam circumdederunt : non quia tanti fuit R. P. malos ferre ciues, vt vberem ad dicen-  
dum materiam oratores haberent : sed, vt subinde admonco, quæstionis memineri-

\* existit.

mus, sciamusque nos de ea re loqui, quæ facilius turbidis & inquietis temporibus \* ex- C  
stitit. Quis ignorat vtilius ac melius esse frui pace, quàm bello vexari ? Plures tamen  
bonos præliatores bella quàm pax ferunt. Similis eloquentiæ conditio. Nam quò sæ-  
pius steterit tamquam in acie, quoque plures & intulerit ictus & exceperit, quò maior  
aduersarius, eò <sup>108</sup> acrior qui pugnas sibi asperas desumerit, tantò altior & excelsior &  
illis nobilitatus criminibus, <sup>109</sup> in ore hominum agit, quorum ea natura est <sup>110</sup> vt se-  
cura nolint. Transeo ad formam & consuetudinem veterum iudiciorum : quæ <sup>111</sup> & si  
nunc aptior est, ita \* erit eloquentia, tantò illud forum magis exercebat, in quo nemo in-  
tra paucissimas horas perorare cogebatur, & liberæ comperendinationes erant, & mo-  
dum dicendi sibi quisque sumebat ; & numerus neque dierum neque patronorum finie-  
batur. <sup>112</sup> Primus tertio consulatu Gn. Pompeius astrinxit imposuitque veluti frenos  
eloquentiæ, ita tamen vt omnia in foro, omnia in legibus, omnia apud prætores gere-  
rentur : apud quos quantò maiora negotia olim exerceri solita sunt, quod maius argu-  
mentum est, quàm quòd causæ centumvirales, quæ nunc primum obtinent locum, D  
adeò splendore aliorum iudiciorum obruebantur, vt neque Ciceronis, neque Cæsaris,  
neque

107. IN PVBLICIS NON ABSENTES.] Rodolphus: in publicis iudiciis non absentes. *insitione valde quidem apta.*

108. ACRIOR QUI PVGNAS.] Vetus, acrior per pugnas. *Aliquid hic vlcis. Fortasse: maior aduersarius & acrior, quò plures. Et statim, illis nobilitatus discriminibus.*

109. IN ORE HOMINVM.] Emendavi etiam in Historiis, & produxi hanc dictionem. Vulgò, more.

110. VT SECVRA NOLINT.] Clausu-

la addit Rodolphus: vt dubia laudent, secura nolint. quod qui neget aptum ad sensum esse, ipse sine sensu.

111. ET SI NVNC APTIOR EST, ITA \* ERIT ELOQVENTIA.] Nobis corrupta hæc videbantur aut mutila. Rodolphus autem concinnat: etsi nunc aptior est veritati, eloquentiam tamen. *acutè si ab ingenio, feliciter si à libro.*

112. PRIMVS TERTIO CONSVLATV.] Addit etiam Rodolphus, primus huius rei spatia tertio, &c. nec hæc talia sanè ab ingenij fonte videntur. Ego ex eo scri-

A neque Bruti, neque Cœlij, neque Calui; non denique vllius magni oratoris liber apud centumuiros dictus legatur, exceptis orationibus Asinij, quæ<sup>113</sup> pro heredibus Vrbiniæ inscribuntur, ab ipso tamen Pollione medijs diui Augusti temporibus habitæ, postquam longa temporum quies, & continuum populi otium, & assidua senatus tranquillitas, & maximi Principis disciplina, ipsam quoque eloquentiam sicut omnia alia pacauerat? Paruum & ridiculum fortasse videtur quod dicturus sum, dicam tamen vel ideò Cap.39. vt rideatur. Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attulisse penulas istas, quibus astricti & velut inclusi cum iudicibus fabulamur? quantum virium detraxisse orationi adiutoria & tabularia credimus, in quibus iam ferè plurimæ causæ explicantur? Nam quo modo nobiles equos cursus & spatia probant, sic est aliquis oratorum campus, per quem nisi liberi & soluti ferantur, debilitatur ac frangitur eloquentia. Ipsam quinimmò curam & diligentem styli anxietatem contrariam experimur: quia sæpè interrogat iudex; quando incipias; & ex interrogatione eius incipiendum est. frequenter probationibus & testibus, silentium patronus indicit. vnus inter hæc dicenti ac alter assistit, & res velut in solitudine agitur. Oratori autem clamore plausuque opus est, & velut quodam teatro. qualia cottidie antiquis oratoribus contingebant: cum tot pariter ac tam nobiles forum coartarent: cum clientelæ quoque, & tribus, & municipiorum legationes, ac partes Italiæ periclitantibus assisterent: cum in plerisque iudicijs crederet populus Romanus suâ interesse quid iudicaretur. Satis constat C. Cornelium, & M. Scaurum, & T. Milonem, & L. Bestiam, & P. Vatinium, concursu totius ciuitatis & accusatos & defensos. vt frigidissimos quoque oratores, ipsa certantis populi studia, excitare & incendere potuerint. Itaque hercule eiusmodi libri exstant, vt ipsi quoque qui egerunt, non aliis magis orationibus censeantur. Cap.40. Iam verò conciones assiduae, & datum ius quoque potentissimum quemque vexandi, atque ipsa inimicitiarum gloria, cum se plurimi disertorum, ne à P. quidem Scipione, aut Syllâ, aut Gn. Pompeio abstinerint, & ad incessendos principes viros, vt est natura inuidiæ, populi quoque histriones auribus vterentur, quantum ardorem ingenijs, quas oratoribus faces admouebant? Non de otiosâ & quietâ re loquimur, & quæ probitate & modestiâ gaudeat: sed est magna ista & notabilis eloquentia, alumna licentiæ, quam \* stulti libertatem vocabant, comes seditionum, effrenati populi incitamentum, sine obsequio, sine seruitute, contumax, temeraria, arrogans, quæ in benè constitutis ciuitatibus non oritur. <sup>114</sup> Quem enim oratorem Lacedæmonium, quem Cretensem accepimus? quarum ciuitatum seuerissima disciplina, & seuerissimæ leges traduntur. Nec Macedonum quidem ac Persarum, ac vllius gentis, quæ certo imperio contenta fuerit, eloquentiam nouimus. Rhodij quidam, Athenienses plurimi oratores exstiterunt: apud quos omnia populus, omnia imperiti, omnia, vt sic dixerim, omnes poterant. Nostra quoque ciuitas donec errauit, donec se partibus, & dissensionibus, & discordijs confecit, donec nulla fuit in foro pax, <sup>115</sup> nulla in senatu concordia, nulla in iudicijs moderatio, nulla superiorum reuerentia, nullus magistratuum modus: tulit sine dubio valentiorum eloquentiam, sicuti indomitus ager habet quasdam herbas lætiores. Sed nec tanti Reipublicæ Gracchorum eloquentia fuit, vt pateretur & leges: nec bonæ formæ eloquentiæ Cicero tali exitu Cap.41. pensauit. Sic quoque quod superest antiquis oratoribus, forum <sup>116</sup> non emendare, nec vsquam ad votum compositæ ciuitatis argumentum est quidem, quod nemo nos aduocat,

eo scribam: primus huiusce spatia. Sanè etiam post in hac translatione persistit: Quomodo nobiles equos cursus & spatia probant: sic est aliquis oratorum campus, &c.

113. PRO HEREDIBVS VRBINIÆ. ] *Quintilianus me duxit ad emendationem; quem vide libro IV. cap. I. Nam Asinium disertim pro heredibus Vrbiniæ laudat. In tritis libris erat, Ironiæ: in veteri, Vrbiniæ.*

114. QVEM ENIM ORATOREM LACEDÆMONIVM. ] *Miratur hoc idem Velleius lib. I. in extremo: nec causam dat, quam veram hic habes.*

115. NULLA IN SENATV CONCORDIA. ] *Sequentia verba pluscula addidimus à libro.*

116. NON EMENDARE, NEC VSQVAM. ] *Si nihil hic deest, scribam: non emendatæ. nec vsque ad. Sequentia etiam in libro Farnes. argumentum est. Quis enim nos.*

117. NON

uocat, nisi aut nocens aut miser. quod municipium in ciuitatem nostram venit, nisi A  
quod aut vicinus populus, aut domestica discordia agitat? quam prouinciam tuemur,  
nisi spoliatam vexatamque? Atqui melius fuisset <sup>117</sup> non queri, quam iudicari. Quòd  
si inueniretur aliqua ciuitas in quâ nemo peccaret, superuacuum esset inter innocentes  
orator, sicut inter sanos medicus. Quo modo tamen minimum vsus minimumque  
profectus ars medentis habet in his gentibus, quæ firmissimâ valetudine ac saluberri-  
mis corporibus vtuntur: sic minor oratorum obscuriorque gloria est inter bonos mo-  
res, & in obsequium regentis paratos. Quid enim opus est longis in senatu sententiis,  
<sup>118</sup> cum optimi citò consentiant? Quid multis apud populum concionibus, cum de re-  
publicâ non imperiti & multi deliberent, sed sapientissimus & vnus? Quid voluntariis  
accusationibus, cum tam rarò & tam parcè peccetur? Quid inuidiosis & excedentibus  
modum defensionibus, cum clementia cognoscentis obuiam periclitantibus eat? Cre-  
dite optimi, & in quantum opus est disertissimi viri, si aut vos prioribus sæculis, aut isti  
quos miramur, his nati essent, ac deus aliquis vitas vestras, vestra tempora repente mu- B  
tasset: nec vobis summa illa laus & gloria in eloquentiâ, neque illis modus & tempera-  
mentum defuisset. Nunc quoniam nemo eodem tempore assequi potest magnam fa-  
mam & magnam quietem, bonis sæculi sui quisque, citra obreccationem alterius, vta-  
tur. Finierat Maternus. Tum Messalla: Erant quibus contradicerem, erant de quibus  
plura dici vellem, nisi iam dies esset exactus. Fiet, inquit Maternus, postea arbitrato  
tuo, & si qua tibi obscura in hoc meo sermone visa sunt, de his rursus conferemus. Ac  
simul assurgens, & Aprum complexus, Ego, inquit, te poëtis; Messalla, antiquariis,  
criminabimur. At ego vos rhetoribus & scholasticis, inquit. Cum adrisissent, dis-  
cessimus:

Cap. 42.

117. NON QVERI, QVAM IVDICARI. ] *Lego, vindicari.*

118. CVM OPTIMI CITÒ CONSENTIANT? ] *Lego, cum optimis. Rodolphus autem, cum optima*

*citò censeantur? A fine autem libelli, vt cuius vi-  
dere est, multa desunt, atque adeò præcipua dissertio-  
nis pars. Sed mihi, cum Deo, pausa hîc & finis: cui  
gratia & gloria in æternum.*

